

3600  
1  
**SAMUELIS RACHELII, J. U. D.**

Juris Naturæ & Gentium in illustri Holsatorum  
Academia Prof. P. & h. t. Prorektoris

**TRACTATUS**

DE

**DUELLIS.**

Mantissæ loco, præter alia quæ-  
dam, accessit

**S. CÆS. MAJE-**

**STATIS, AD S. R. IMP. ORDI-**

**NUM ILLUSTRISSIMOS**

**LEGATOS**

**Comitiis Ratisbonensibus jam**

congregatos, super **DUELLIS,**

**RESOLUTIO.**

LUBECÆ,

*9. Dec. 6*  
**Apud ULRICUM VVETSTEINIUM.**

RACEBURGI, Typis NICOLAI NISSII, ANNO M. DC. LXXI.

REVERENDISSIMO ATQUE EXCEL-  
LENTISSIMO

DOMINO,

DN. JOHANNI  
ADOLPHO KIELMANNO

de KIELMANSECK,

Hæreditario Domino in Satrupholm, Obdorf &  
Cronshagen,

Ecclesiæ Cathedralis Hambur-  
gensis Præposito, SERENISSIMI Slesvici  
& Holsatiæ DUCIS

Regentis Consiliario Primario, Cancellario, Re-  
giminis Cameraq; Præsidi, Præfecto in Trittau, Rein-  
beck & Morkirchen,

DOMINO ET PATRONO SUO  
observantissimè colendo  
*PERPETUAM FELICITATEM!*

Institut für Leibesübun, on  
Universität Frankfurt a. M.

**H**ominem civilis societatis naturâ appetens  
animal esse, mihi penitus persuasum est.  
Ut vero quamlibet Societatem, ita cum primis  
Civi-

52015  
Wyższa Szkoła Pedagogiczna  
w Bydgoszczy  
Biblioteka Główna

Civilem Jus continet ac conservat. Quotquot igitur homines Naturæ ductum secuti Civitatem expetunt, iidem ejus vinculum, jus civile, amplectuntur. Cum enim felicitatem civilem nemo non bonus desideret, illa præsidia, sine quibus ista obtineri nequit, simul eligat necessum est. Describitur scilicet Civitas & constituitur Legibus. Ad harum normam omnia negotia examinant Judicia, earumquæ autoritatem tuentur. Unde Philosophus in suis Politicis, νόμον τάξιν & alibi τὴν δίκην τῆς πολιτικῆς κοινωνίας τάξιν esse ait. Ubi igitur Homo hanc vitæ conditionem inierit, & maximam in ea perfectionem adipisci, & omnium animalium optimum evadere poterit; perinde uti pessimum erit, ubi Lege & Judiciis se adstringi non patietur. Absq; his enim si fuerit, ingenio, solertia & facultatibus à Natura datis ad sui perniciem, & aliorum injurias abutetur, foediorumquæ vitam vivet, quàm ullum ferum animal. Si enim Civitatis finem, jura & ordinem spreverit, ad affectibus suis sine ratione indulserit, non solum sibi jam meliùs cupiet esse quàm alteri, sed vi, fraude, variisque sceleribus hanc ad rem utetur, turbas & bella movebit, ut sibi imperium in alios

quærat, aut aliàs suæ iræ, ambitioni ac cupiditati  
litet. Quàm aptum ergo firmandis Societatibus  
vinculum Jus est; ita nihil æquè ad illas labefa-  
ctandas evertendasquè comparatum, quàm Vis  
est. Hinc in actionibus primum & maximum a-  
it esse Cicero, *Vis abesto. Nihil est enim, inquit, exitio-  
sius civitati, nihil tam contrarium juri & legibus, nihil mi-  
nus civile, & humanum, quàm composita & constituta  
Rep. quidquam agi per vim.* Protinus enim ubi Ju-  
ris disciplina concidit, Judiciorumquè autoritas  
collabascit, diversa animorum libido ac protervia  
vim suam & arma expedit; ut sanè tanta sit mise-  
ria vitæ violentæ, quanta est felicitas civiliter ac  
tranquillè cultæ. Bene iterum Cicero: *Inter hanc  
vitam perpolitam humanitate, & illam immanem, nihil  
tam interest, quàm Jus atque Vis. Horum utro uti nolimus,  
altero est utendū. Vim volumus exstingui? Jus valeat necesse  
est, id est, Judicia quibus Jus omne continetur. Judicia displicent,  
aut nulla sunt? Vis dominetur necesse est.* Quanta  
autem vi quispiam utetur, aut quamdiu, quæ ma-  
jori opprimi nequeat? Quilibet enim ferox ho-  
mo sibi dictum putet, quod vasti corporis viribus  
præfidenti Maximino objiciebatur:

*Qui ab uno non potest occidi, à multis occiditur.  
Elephas grandis est, & occiditur;*

*Leo fortis est, & occiditur.*

*Cave multos, si singulos non times.*

Ipsi illi, quibus hæc barbaries aliquandiu placuerat, mutuis vulneribus, cædibus, lullis ac lanienis attriti ad mitiorem vitam redire, & violentiæ suæ tragicos exitus damnare coacti sunt.

*Nam genus humanum defessum vi colere ævum,*

*Ex inimicitiis languebat. Quò magis ipsum*

*Sponte sua cecidit sub leges, arctæq; jura*

*Acrius ex ira quod enim se quisque parabat*

*Ulcisci, quàm nunc concessum est legibus æquis;*

*Hanc ob rem est homines pertæsum vi colere ævum.*

Itaque non minus dolendum atque mirandum est, cum populi Europæi præ aliis gentibus morum civilitate, artium & scientiarum (quæ alioqui non sinunt esse feros) studiis eximiè sint exculti, Respublicas habeant legibus optimè constitutas; ex prisca tamen morum importunitate & ferocia illos Duella, nulla necessitate, nullo jure, sed sola animi libidine commendata tam pertinaciter retinuisse, tam crudeliter exercuisse, iisque conditionibus ac legibus quasi instruxisse, ut res non solum licita credita sit, quæ in se maximè est illicita; sed & impunitas illi vel data, vel postulata sit, gloriosumque facinus, & excellen-

cellentis fortitudinis exemplum habitum, in du-  
ellis obtruncasse, vel saltem vulnerasse hominem,  
tam carum Deo animal, conniventibus, ac sæpe  
consentientibus, imò nonnunquam jubentibus  
iis, qui Judiciis suam auctoritatem, ipsique DEO,  
cujus vice funguntur, suum Regale, *Mea est vindicta*,  
adserere debuerant. Atque hac licentia ac impu-  
nitatis spe evenit, ut etiam boni Principes pessimæ  
consuetudini vix obicem ponere potuerint, quin  
potius illa omnes omnium hominum ordines a-  
nimosq; corripuerit, ipsasque Academias etiam,  
Virtutis & Doctrinæ officinas, graviter invaserit.  
Cum itaque EXCELLENTISSIME DOMI-  
NE PRÆSES, TUO consilio & ope Academia  
quoque in Patria nostra ante paucos annos con-  
stituta, & Disputatio quædam Inauguralis à me  
esset conscribenda; de DUELLIS argumentum  
delegi, à multis quidem antehac versatum, non  
tamen sine magna opinionum perplexitate, &  
partim manifestis ac perniciosis erroribus. Itaque  
licet alia mihi materia haut defuisset, non æquè  
trita, & in qua ingenium fortè etiam subtilius ex-  
erceri potuisset; hanc tamen non tantùm meo,  
sed & aliorum consilio præferre, nascentisque  
Aca-

Academiae temporibus ac saluti studium meum  
accommodare officii esse credidi. Cæterum vari-  
is eo tempore negotiis occupatus, non nisi pri-  
mam argumenti hujus partem V<sup>o</sup> Exc<sup>o</sup> exhibui,  
& pro altera subsequutura fidem meam promisso  
obstrinxi. Nunc ergo cum ipsa S. CÆS. MA-  
JESTAS Imperiiq; ORDINES signum ad bene  
sperandum sustulerint, fore, ut tandem ex Germa-  
nia grande hoc malum universali lege proflige-  
tur, & gigantei in contrarium fortè ituri ausus se-  
verè coërceantur; integrum jam hunc de DUEL-  
LIS Tractatum V<sup>o</sup> Exc<sup>o</sup> offerre, fidemque libera-  
re constitui. Quod tantò libentiùs facio, quò  
præclariùs V<sup>o</sup> Exc<sup>o</sup> non solum de me, sed universa  
Academia nostra est merita. Cumque SERE-  
NISSIMUS PRINCEPS ac DOMINUS meus  
Clementissimus Academiae suæ regimen seme-  
stre suasque vices mihi demandaverit, tam mihi  
curæ erit, ejus incolumitatem ac salutem ut quæ-  
ram, quanta religione DEO & PRINCIPI me  
obligatum profiteor. Si ergo duella, vis, hostiles  
insultus, atrociores injuriæ, legitimis poenis com-  
pescantur, ipsasque interim sententias temperet  
æquitas, tam bene mihi ero conscius muneris re-  
ctè ad-

Etè administrati , quàm malè sibi sunt conscii alii,  
qui illud fortè calumniantur. Quippe tum de-  
mum de incremento novellæ Academiæ bene  
sperare licebit , ubi Musis & Magistratui sua con-  
stiterit dignitas, atque Jurisdictio intemerata Ju-  
dicii auctoritatem adversus Licentiæ alumnos eo-  
rumque insolentiam conservaverit. His enim  
præsidiis mansuescunt Juvenum animi, humani-  
tatem induunt, officia amicitiae mutuò exercent,  
imbuuntur studiis, doctrina perficiuntur, discipli-  
na in obsequio continentur, faciuntque omnino,  
quæ Deo grata, Reip. sibi que utilia sunt. Hæc cum  
curarum & laborum nostrorum meta sit, favebit  
sanè V<sup>a</sup> Exc<sup>a</sup> nostris consiliis, piis, rectis, eaquè qua  
potest ope promovebit. Ita Deus V<sup>am</sup> Exc<sup>am</sup> Pa-  
trix & Academiæ bono diu incolumem servet a, d, xxvii.  
Jun. cIo Ioc LXX.

V<sup>a</sup> Exc<sup>a</sup>

*observantissimus*

SAMUEL RACHELIUS.






Σὺν Θεῷ.

# TRACTATUS DE DUELLIS,

THESIS I.

 Mne omninò animal naturâ expetit bonū, declinat & averfatur malum. *Quia appetitus nihil aliud est, quàm quadam inclinatio appetentis in aliquid: nihil autem inclinatur nisi in aliquid simile & conveniens. Thom. 1. 2. qu. 8. art. 1.* Atq; hoc quod ita appetenti conveniens est aut videtur, vel verum est bonum, vel apparens; juxta illud Philosophi, *Bonum est quod omnia appetunt. 1. Nicom. 1. §. 2. nostra edit.* Illa appetitio boni Aristoteli, *δίωξις*, Stoicis *ὄρεξις*; illa averfatio mali illi, *Φυγή*, his *ἐκκλισις* dicitur. Oritur verò illa boni persecutio, & fuga mali ab amore sui. Quodq; enim animal à Providentia divina eum accepit instinctum ac propensionem, ut quàm maximè sit cupidum conservationis individui, seu sui, & propagationis speciei. Contrarium si quandoq; contingat, vel vitio agentis, vel objecti accidit. Rem ipsam ejusquè causam ita eleganter proponit Diodorus Siculus: *ἀγαθὴ γὰρ ἡ φύσις διδασκαλῶν ἅπασιν τοῖς ζώοις ἐστὶ πρὸς διατήρησιν ἑαυτῶν, ἀλλὰ καὶ τῶν γεννωμένων, διὰ τῆς συγγενῆς φιλοζωίας τὰς διαδοχὰς εἰς αἰδίων ἄγαστα διαμονῆς κύκλον.* Optima quippe magistra natura est cunctis animantibus non tantum ad sui, sed & ad proliis suæ conservationem, ut cognata hac charitate continua successio ad eterni-

Etatis circulum perveniat. Hæc igitur naturalis propensio efficit, ut animalia ea expetant, quæ sibi suæq; sustentationi ac incolumitati bona ac convenientia esse putant: illa verò amoliantur & fugiant, quæ quoquo modo calamitatem, destructionem aut interitum allatura videntur. Hinc Metum describit Philosophus, προσδονία ναικῶ, expectationem mali. 3. Nicom. 6. §. 3. Quem etiam vide 2. Rhet. 5. ubi exactior Metus definitio proponitur, quamvis ista etiam Chryippo placuit. Salmas. in Epict. & Simpl. p. 62.

II. Hanc naturalem inclinationem ad bonum, & fugam mali Stoici appellabant τὰ πρῶτα κατὰ φύσιν, Prima natura, & ex illorum sententia ita explicantur apud Gellium l. 12. Noct. Att. c. 5. his verbis: *Natura omnium rerum, quæ res genuit, induit nobis, inolevitq; in ipsis statim principiis, quibus nati sumus, amore nostrum & charitatem; ita prorsus ut nihil quidquam esset charius pensusq; nobis, quam nosmetipsi. Atque hoc esse fundamentum rata est conservanda hominum perpetuitatis, si unusquisque nostrum, simulatq; editus in lucem foret, harum prius rerum sensum affectionemq; caperet; ut omnibus scilicet corporis sui commodis gauderet, ab incommodis omnibus abhorreret.* De primis his naturæ elementis (ut ipse appellat) ita differit Cicero 3. de Finibus: *Placet his (Stoicis) quorum ratio mihi probatur, simulatq; natum sit animal (hinc enim est ordiendum) ipsum sibi conciliari, & commendari, ad se conservandum, & ad suum statum, & ad ea, quæ conservantia sunt ejus status, diligenda: alienari autem ab interitu, isq; rebus, quæ interitum videantur adferre. Id ita esse sic probant, quod antè quàm voluptas aut dolor attigerit, salutaria appetant parvi, aspernenturq; contraria. Quod non fieret, nisi statum suum diligerent, interitum timerent. Fieri autem non posset, ut appeterent aliquid, nisi sensum haberent sui, eoque se, & sua diligerent. Ex quo intelligi debes, Principium ductum esse à se diligendi. Eundem iterum audire interest. Principio, inquit: Officiorum generi animantium omni est à Naturâ tributum, ut se, vitam, corpusq; tueatur, declinetq; ea, quæ nocitura videantur.*

III. Et.

III. Etsi verò Homo cum Brutis hanc sui amoris suiq̄ue conservandi commendationem communem habeat, multùm tamen diverso modo illam Homo & Bruta tueri debent. Bruta enim cum rationis sint expertia, quovis se alunt & expediunt modo, ut cujusque instinctus & naturalis conditio tulerit: at Homo excellenti natura, Rationali præditus, illos actus, quos cum brutis communes habet, siquidè moralitatis capaces sint, certo ordine, ratione ac jure debet definire, adeoq̄; sui conservationem non quovis modo aut nequiter, sed innoxie consecrari, & malorum amolitionem suiq̄; defensionem non bruto impetu, sed circumspectè ac cautè suscipere, ut, quanto amore sui defendendi excitatur, tantum absit ab odio aut proposito alterum iniquè lædendi. Itaq̄; licet hæc *πρῶτα κατὰ φύσιν* naturam animale adficient, & propter hujus cõmunionem & homines & bruta hos stimulos motusq̄; sentiant, excellentior tamen in hominibus rationis vis illos instinctus ac motus certo modo legeq̄; dirigit, dirigere utiq̄; debet.

IV. Huic amoris sui Natura germanam junxit sororem, Indigentiam. Ille enim Amor quò magis est sollicitus de individui conservatione, aut speciei propagatione, eò plura sibi vitæ præsidia ac subsidia deesse videt: quæ cum nemo hominum sibi soli relictus comparare possit, commodè & huic rei Natura prospexit, hominiquè cuilibet appetitum indidit Societatis ineundæ; sic ut si quis fortè homo *ἀκοινωνῆτος*, *insociabilis*, deprehendatur, illum rectè cum Aristotele vel præstantiorem homine, vel bestiam dixeris. 1. *Polit.* 2. Et quamvis homo naturà ad Societatem sit propensus, eoquè fine aptissimum societatis colendæ commercandiq̄; instrumentum acceperit, Orationem, fortiùs tamen instat Indigentia, & Hominem per se quidem pronum etiam compellit, adstringitq̄; ad Societatem cum aliis ineundam conservandamq̄;: ut meritò cum Cicero ne indigentiam *Societatum Vinculum* appellaveris.

V. Cæterùm & in hac naturali Hominis ad Societatem inclinatione videre licet, quântò excellentior sit natura ejus, præ brutorum conditione. Perinde enim ut amore sui aliter debent esse adfecti homines, quàm bruta; Ita quoq; licet gregatim aut catervatim vivant pascanturq; bruta, multaq; exhibeant imitamenta hominum; Societatem tamen propriè dictam inter se nec habent, nec etiam ejus instrumentum Orationem, sed vocem duntaxat à Natura acceperunt: quæ quantum distent, ex Aristotele addiscere operæ precium fuerit. Ita igitur ille 1. Polit. 2. *Orationis tantùm Homo ex omni genere animantium particeps est. Vox quidem tristis rei ac jucunda nota est: Quare cæteris quoq; animantibus data est. Hucusque enim natura ipsarum pervenit, ut sentiant, quod molestum est ac jucundum, & hoc significant sibi ipsis. Oratio autem inventa est ad declarandum, quod prodest & obest: quare etiam justum & injustum. Hoc enim præ cæteris animantibus hominum proprium est, solum ipsum boni & mali, justi & injusti, & aliorum sensum habere.* Unde manifestum est, si Oratio est naturale instrumentum, notiones boni & mali, utilis & inutilis, justi & injusti explicandi; illa ad societatum naturam & integritatem exigi, quæ illam conservant ejusq; felicitatem promovent; illa vero debere abesse, quæ illam impediunt, turbant, evertunt. Eâq; causâ Aristoteles semper vult esse *ἀδιαλύτως* conjuncta, Societatem, Amicitiam, & Jus. 8. Nicom. 9. §. 2.

VI. Bene hætenus rebus humanis divina Providentia consuluerat: cujus mirificam bonitatem ac ordinem cum durum Deucalionis genus non satis agnosceret, & indies corruptæ suæ naturæ ac pravitatis atrociam exempla ederet, homo homini nefario ausu insidiaretur, frequentissimisq; cædibus ac motibus societates hominum labefactarentur, alio remedio opus fuit. Nec etiam nihil passi sunt homines à brutis, quorum feritatem variasq; pestes magno cum damno senserunt. Varro autor est, à cuniculis suffossum in Hispania op/dum; ab locustis

in Africa: ex Gyaro Cycladum Insula incolas à muribus fugatos, in Italia Amyclas à serpentibus deletas. Citra Cynamolgos Æthyopas latè deserta regio est, à scorpionibus & solpugis gente sublata: & à scolopendris abactos Trerienteses, autor est Theophrastus. *Plin. l. 8. hist. nat. c. 29.* Quid faciant leones, tigrides, ursi, lupiq; , si talia audent contemptissima animalcula & insecta? Horum verò omnium perniciem multis modis vicit Hominis astutia & malitia. *Huic uni animantium luctus est datus, uni luxuria, & quidem innumerabilibus modis, ac per singula membra; uni ambitio, uni avaritia, uni immensa vivendi cupido, uni superstitio, uni sepultura cura, atq; etiam post se de futuro. Nulli vita fragilior, nulli rerum omnium libido major, nulli pavor confusior, nulli rabies acrior. Deniq; cetera animantia in suo genere probè degunt: congregari videmus, & stare contra dissimilia. Leonum feritas inter se non dimicat: Serpentum morsus non petit Serpentes: ne maris quidem bellua ac pisces, nisi in diversa genera, sæviunt. At herculè homini plurima ex homine sunt mala. Plinius præmio lib. 7.*

VII. Naturali igitur amoris sui corrupta Hominum natura opposuit Odium erga alterum, Iræque ferociam: & Indigentia, rudi, simplici, parvoque contentæ, sævior armis Luxuria se ad sociavit. Quæ vitia ita homines exercent, & tam fervidè collidunt, ut extra civilem societatem constitutus Homo sit animal omnium pessimum: *Quemadmodum enim perfectum optimum omnium animalium Homo est; sic secretum à lege ac justitia, pessimum omnium. Molesta enim maximè injustitia est, quæ arma habet. Homo autem armis munitus nascitur, Solertia & Generositate, quibus ad contrarias res uti licet maximè. Quare sceleratum & ferum maximè est sine virtute, & ad Venerem ventremq; deterrimum. Proinde Natura non nescia Homines ferè proclives esse ad ejusmodi malitiam ac lubidinem, etiam tanto huic malo medicinam fecit, iisque ad societatem civilem propensionem impressit, in qua & plena omnium rerum esset ἀντάφεια, & Jure, Naturæ ordini maximè convenienti, constringerentur, Justitia*

enim accommodata est civitati. Jus enim civilis societatis ordo est. Jus autem Justitiam existimatio; inquit Aristoteles, Polit. 2. f. Ubi tamē monendū est, quod licet civilis societas vel maximē medeatur depravata naturæ humanæ, nihilominus verum esse, Homine natura esse ζῶον πολιτικόν, ut etiam cum integritate naturæ consideretur homo. Quando enim societas dicitur naturalis, origo ejus tribuitur Naturæ, hoc est, Deo; cujus Providentia cum quaslibet res ad suum bonū ordinaverit, non sanè hanc curam deseruit in Homine, creatura nobilissimâ, sed & illi suum bonum proposuit, mediâq; suppeditavit, illud adipiscendi, impresso appetitu societatis, & quidem illius, in quo proprium hominis bonum & cōmodissimè & perfectissimè haberi queat. Hoc vero est εὐπραξία, quæ optimè acquiri potest in societate civili. Sive igitur Mercurius, sive Orpheus, sive Linus, sive Amphion, sive Theseus Homines in civilem societatem congregaverit, certoq; jure ac ordine eos & regere & regi didicerit; Sanè ὁ πρῶτος συστήσας τὴν κοινωनीαν πολιτικὴν, μεγίστων ἀγαθῶν αἰτία, Qui primus civilem societatem constituit, maximorum bonorum causa fuit. Aristot. d. l.

VIII. Est enim Civitas societas perfectissima, πάσης ἔχουσα πέρας τῆς αὐταρκείας, omnis ubertatis ac copia fastigium nata: Cujus tres ferè sunt fines naturales. Prima quidem, ut Hominibus in illa liceat vivere. Conveniunt, inquit Aristoteles 3. Polit. 4. homines vivendi causa ipsius; fortasse enim huic ipsi inest aliqua pars boni. Et tuentur civilem societatem, solius vitæ causa, nisi inciderint vivendo in res admodum duras ac molestas. Perspicuum autem est, tolerare multos mortales graves erumnas propter cupiditatem vitæ, tanquam inest in ipsa prosperitas quadam & dulcedo naturalis. Alter Civitatis finis est, ut Homines in ea tutò, securè ac tranquillè vivant: de quo ita Aristoteles d. l. Dictum est jam in primis disputationibus, Hominem esse naturâ animal civile. Qua de causa homines, non egentes etiam mutuo prestidio,

*diō, non minus appetunt simul vivere.* Significat igitur mutui  
 præsidiū opisque conjungendæ (βοηθείας) gratia homines et-  
 iam civitatem constituisse. Tertius finis, μάλιστα τέλος  
 Aristoteli dictus, est τὸ εὖ ζῆν, *benè ac feliciter vivere.* Quod  
 sanè εὖ rectè considerandum est, videlicet ut bene sit toti Ho-  
 mini, cum primis ratione illius partis, quæ Homo est. Quid-  
 quid igitur ad τὸ bene esse corporis facit, illo εὖ ζῆν compre-  
 henditur: multò magis quod ad τὸ bene esse Animæ rationalis  
 conducit, eo intelligi debet, videlicet cultura & adsuefactio e-  
 jus ad virtutem, ipsaque ἐνπραξία, quæ est vera propriaque  
 Hominis felicitas.

IX. Quemadmodum verò in omni omninò societate  
 naturali ex Providentiæ divinæ instituto cernere licet Ordinem  
 imperantium & parentium; ita ille vel maximè in Civi-  
 tate obtinet, diciturque Respublica. ἡ πολιτεία τῶν τῆν  
 πόλιν οἰκόντων ἐστὶ τάξις τις, *Respublica est ordo quidam  
 civitatem habitantium.* 3. Polit. 1. Plenius describitur 3. Polit. 4.  
 ἐστὶ πολιτεία πόλεως τάξις, τῶν τε ἄλλων ἀρχῶν,  
 καὶ μάλιστα τῆς κυρίας πάντων. *Respublica est ordo ci-  
 vitatis, & cum aliorum imperiorum, tum imprimis omnium summi.*  
 Hunc civitatis Ordinem ad tria præcipua capita refert, ubi pro-  
 priè dictum Civem describit. 3. Polit. 1. videlicet ad admini-  
 strationem & participationem imperii, Senatus, & Judicii.  
 Missis reliquis, utpote ad propositum nostrum non æquè faci-  
 entibus, de Judicio ejusque fine non nihil dicamus.

X. Quod valet ratione providere, imperans est naturas in-  
 quit Aristoteles 1. Polit. 2. Etsi itaque ex hoc fundamento an-  
 te civitates constitutas aliquod Patrisfamilias inter familiares,  
 & Heri inter servos arbitrandi jus & autoritas fuerit; quia ta-  
 men propriè dictis Legibus ac Jure erant destituti, Judicium  
 inter illos propriè non erat. Licet igitur, ut in civitatibus leges  
 & in-

Et instituta valent, ita in privatis domibus verba moresq; paterni Et  
 quidem magis valent, cum propter cognationem, tum ob varia in fili-  
 os collata beneficia; patriæ tamen potestati non inest aliqua vis, aut  
 necessitas, neque omnino viri unius præcepto ullius, nisi Rex ille fuerit,  
 aut Regi similis quispiam: inquit Aristoteles 10. Nicom. ult. §. 44.  
 Et 34. Et si igitur sæpe liberi patri, servi domino parerent, non  
 tamen semper, aut ex asse morem gerebant: proinde cum his  
 imperantibus sæpe deesset δύναμις ἀναγκαστική, aut illa  
 propter majoris mali metum uti non possent, vel emolliret  
 disciplinam naturalis σοργή, sæpenumerò illorum autoritas  
 concidit. Jam si inter diversas domus, aut diversarum do-  
 muum partes, litigii quid fuisset natum, altera in alteram nil  
 juris vel autoritatis habebat; itaque rarò ex æquo bono inter  
 tales fiebat transactio, tantum non semper ad arma conclama-  
 tum fuit, adeoque pleræque controversiæ bello diremptæ sunt.  
 Talis fuit illorum hominum confluges ac colluvies, quos inter  
 εἰς εἰς ἢ κριε εἰς εἰς.

XI. At Civitatibus institutis, instituta unà fuerunt Ju-  
 dicia, in quibus secundum leges & æquitatem, per sententiam  
 Judicis quisque, quod sibi fieri deberive comprobasset, conse-  
 queretur, sententiam ipsam fortiter urgente executione.  
 ἡ γὰρ δίκη κρίσις τῶν δικαίων καὶ τῶν ἀδίκων. *Judicium*  
*enim justis & injustis dijudicatio est:* inquit 5. Nicom. 6. §. 10. & Judex  
 eidem dicitur Φύλαξ τῶν δικαίων, *custos juris*, eod. c. §. 15. &  
 alibi νόμος ἢ ἔμψυχος, *viva lex*. In quocunque igitur bo-  
 ni genere, & quomodocunque læsus fueris, in judicio experiri,  
 tuumquè jus tibi ordinariè consequi licet. Unde Callistratus  
*l. 5. ff. de extraord. cognit.* cognitionem ex variis causis descende-  
 re ait; aut enim de honoribus sive muneribus gerendis agitari:  
 aut de re pecuniaria disceptari: aut de existimatione alicujus co-  
 gnosci, aut de crimine quæri. Aristoteles octo Judiciorum ge-  
 nera facit 4. Polit. ult. qui videri potest; non enim exquisitè de  
 Judiciis agere nobis propositum est.



XII. Sicuti verò id, quod Justum est, Naturæ probatur: quod Injustum, ab eadem improbat; ita facile Recta Ratio agnoscit, Hominis naturæ convenientissimum esse, ut amore sui ita adficiatur, ne alius iniquè lædatur: & indigentiam ita expleatur, ne damnum injuriâ alteri inferatur, sed suum cuique tribuatur. Cæterum, cum vitiosæ *Φιλαυτίας* trita sit consuetudo, ut potioem lucri, honoris, & voluptatis corporeæ partem sibi vendicare, 9, *Nicom. 8. §. 16.* & sæpè etiam cum lædens tum læsus aliquid humani pati soleat, ad Judicium velut *δεύτερον πλῆν* confugere, & in eo præsidium quærere debemus. Tam salutarem enim, & à Deo institutum Ordinem nemini turbare fas est, proprio arbitratu illum vi manuquè temerare. Præterquam enim quod nemo suæ causæ idoneus Judex sit: *l. un. C. ne quis in sua causa. l. 10. ff. de jurisd. l. fin. §. pen. C. ubi senat. vel clariss.* etiamsi de injuria & damno dato liquidissimè constet, non tamen vi, & Judicii autoritate posthabitâ, rem suam cuiquam repetere licet. Nam ne judicium privatorum hominum adfectibus corrumpetur, Judicibus in civitate constitutis data potestas vindicandi læsos, juxta illud Lucretii:

*Acrius ex ira quod enim se quisquæ parabat*

*Ulcisci, quàm nunc concessum est legibus æquis.*

*Hanc ob rem est homines pertasum vi colere ævum,*

Demosthenes in Cononem: *Placuit de omnibus his injuriis ex legibus judicium exerceri, non autem ex cujusq; impetu atq; arbitrio.*

Quintilianus: *Injuria compensatio non solum juri inimica, sed paci: est enim lex, forum, judex; nisi quem jure vindicari pudet.* Eleganter quoque hoc ipsum illustrari poterit à memorato Jcto Callistrato *l. 13. ff. quod metus causa.* Exstat decretum D. Marci in hæc verba: *Optimum est, ut, si quas putas te habere petitiones, actionibus experiaris. Cum Marcianus diceret, Vim nullam fecit; Cæsar dixit, Tu vim putas esse solum, si homines vulnerentur? Vis est & tunc, quoties quis id, quod deberi sibi putat, non per judicem re-*

poscit. Idem decretum repetitur l. penult. ff. ad l. Jul. de vi privata. Ubi Modestinus subjicit hanc l. ult. Si creditor sine autoritate Judicis res debitoris occupat, lege Juliâ de vi privata tenetur, & tertia parte bonorum multatur, & infamis fit. Geminum huic est, quod ipse edicit Deus, Deut. 24. v. 10. & 11. Cum repetes à proximo tuo rem aliquam, quam debet tibi, non ingredieris domum ejus, ut pignus auferas: sed stabis foris, & ille tibi proferet, quod habuerit. Paulus l. 176. de R. J. Non est singulis concedendum, quod per magistratum publicè possit fieri, ne occasio sit majoris tumultus faciendi. Et Theodoricus Rex apud Casiod. Var. Epist. 7. Hinc est, quod legum reperta est sacra reverentia, ut nihil manu, nihil proprio ageretur impulsu. Quid enim à bellicâ confusione pax tranquilla distat, si per vim litigant terminantur? Add. l. 14. C. de Judicis.

XIII. Si igitur talia non licet attentare in contractibus spontaneis, multò minùs in *συναλλαγασι* invitis ea licebunt, quod in his majus ac pretiosius bonum sit periclitaturum. Et ne ulli dubitationi locus sit reliquus, æternam Verbi revelati veritatem huc adducere consultum est. Apostolus ad Roman. 12. v. 19. Non vosmet ipsos ulciscentes, charissimi, sed date locum iræ. Scriptum est enim, Mihi vindicta, & Ego retribuam, dicit Dominus. Remittit nos ad Edictum Jehovæ, quod legitur Deut. 32. v. 35. Mea est ultio, & ego retribuam. Gravis etiam sententia est, quæ legitur Ecclesiastici c. 28. pr. Qui vindicari vult, à Domino inveniet vindictam, & peccata illius servans servabit. Quem textum ita explicat insignis Theologus: Qui vindictam querit, hujus peccata Deus vindicabit, eaq; non remittet illi. Miraris & obstupescis? Exemplum è rebus humanis capito. Si quis principis alicujus Jurisdictionem aut Regalia inolet, illum ultimo supplicio adfici justissimum esse putas. Si quis privatus cervum aliamve majorem feram telo prosternat, gravissimæ multæ non solùm, sed & morti, & nonnunquam cruciatibus, ipsa morte atrocioribus, subjici solet; jure, an injuriâ, nunc nō disputo. Quid putas, quantoperè Rex Regum Deus sit indignaturus, si quis suum hoc  
Rega-

Regale aut Reservatum, Vindictam inquam, temerè involet, si homo hominem, nobilissimam, Deoq; charissimam creaturam, & ad ipsius imaginem conditam, & cujus gratia reliqua omnia creata sunt, tantoq; redemptam, obtruncet?

XIV. Solet autem hoc jus suum Deus his in terris ferè exercere per operam vicariam Regum, Principum, omniumq; imperantium & magistratum: qui cum alieno munere, Dei inquam, fungantur, Dii in Sacro Codice frequentissimè appellari adsolent. Quo vero loco & autoritate apud nos esse debeant, quo obsequio, & reverentiâ colendi, edisserant Apostoli. Sic igitur Paulus ad Roman. c. 13. docet; *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; non est enim potestas, nisi à Deo. Quæ autem sunt potestates, à Deo ordinatae sunt. Itaq; qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Nam principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem non timere potestatem? Bonum fac, & habebis laudem ex illâ; Dei enim minister est, tibi in bonum. Si autem malum feceris, time; non enim sine causâ gladium portat. Dei enim minister est, vindex in iram, ei, qui male agit. Ideoq; necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Et ad Titum 3. v. 1. *Admone illos, Principibus & potestatibus subditos esse, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos esse.* In eandem quoq; sententiam Petrus scribit, 1 Petr. 2. v. 13. seq. *Subiecti estote omni humane creature (τῆ ἀντροπίνῃ καὶ τοῖς ἑ. τ. ἀξί. legibus & sanctionibus politicis) propter Deum: sive Regi, quasi precellenti, sive ducibus, tanquam ab eo missis, ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum; quia sic est voluntas Dei, &c.*

XV. Quàm sanctè igitur ille imperantium, magistratum ac Judicum ordo à subditis est colendus, tam religiosè ac providè ipsi magistratus & iudices officium facere, eiq; invigilare debent. Dicit enim Apostolus, Dei illos διακόνες ac λειτουργοὶ esse, qui non tam suo, quàm alieno munere funguntur. Quemadmodū enim summæ in terris potestates civiles, penes

quas est τὸ νόμιον, variis solent uti magistratibus, & imperii sui administratoribus, quibus sanè non licet mandatum munus pro lubitu exercere, sed debito modo & ex præscriptâ ferè formulâ; ita omnes summo imperio præditi imperantes, si cum Deo contendantur, alienum munus sustinent, omnesq; Dei magistratus sunt, cui ad eò imperii gesti rationes reddere cogantur. Quocirca dies noctesq; id agant, id cogitent, illud sedulo meditentur, ut mandato muneris, ad eòq; Deo & conscientia suæ satisfaciant. Nemini iustitiam vel denegent, vel protrahant, nullius jus labefactent, culpa ac negligentia sua nemini desint, mittant, aliena, curent propria negotia. Imperio enim & hominibus provinciisq; regendis qui à Deo est præfectus, sat profectò habet, quod agat. Cum primis & illud attendatur, quod Ulpianus Præsidibus commendat *l. 13. ff. de offic. Præsidi. Congruit bono & gravi Præsidi curare, ut pacata atq; quæta provincia sit, quam regit; quod non difficile obtinebit, si sollicitè agat, ut malis hominibus provincia careat, eosq; conquirat. Nam & sacrilegos, latrones, plagiarios, fures conquirere debet: & prout quisq; deliquerit, in eum animadvertere: receptoresq; eorum coercere, sine quibus latro diutius latere non potest.*

XVI. Quod si nonnulli Imperantes sibi fortè persuadeant, Deum non ita severè rationem muneris gesti exacturum esse, vehementer sibi met ipsi imponunt: quin potius meminisse debebant, non minus esse jus Deo in ipsos, quam ipsi exercere solent erga ministros suos, qui vel negligenter, vel fraudulenter delegato munere aut officio functi sunt. Fidem his velim faciat ita loquens ipsa Sapientia. *Audite Reges, & intelligite, discite Iudices finium terra. Præbete aures vos, qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum: quoniam data est à domino potestas vobis, & virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur: quoniam, cum essetis ministri regni illius, non rectè judicastis, nec custodistis legem Iustitia, neque secundum voluntatem Dei ambulastis. Horrendè & citò apparebit vobis*

vobis, quoniam iudicium durissimum in his, qui praesunt, fiet. Exiguo enim conceditur misericordia: potentes autem potenter tormenta patientur. Non enim subtrahet personam cuiusque Deus, qui est omnium dominator: nec verebitur magnitudinem cuiusquam, quoniam pusillum & magnum ipse fecit, & aequaliter cura est illi de omnibus. Fortioribus autem fortior instat cruciatus. Ad vos ergo Reges sunt hi sermones mei, ut discatis sapientiam, & non excidatis. Sapient. 6. v. 2. seqq.

XVII. Atque haec haec hactenus. Ex quibus manifestissimum est, per iudicia repressa fuisse latrocinia, caedes, vulnerationes & omnis generis facinora ac bella. E contrario, ubi iudicis aut iudicii copia non fit, ad pristinum statum & ad bella ferè reditur. Nam cum sint duo genera decertandi: unum per disceptationem, alterum per vim: cumque illud sit proprium hominis, hoc belluarum; confugiendum est ad posterius, sicuti non licet superiori: inquit Cicero *1. de officiis*. Quandocumque igitur iniusta fit læsio, & cessat iudicium, Bellum ferè locum invenit. Cessat verò iudicium vel momentaneè, vel continuè. Momentaneè cessat, ubi expectari iudex non potest sine certo periculo aut damno. Continuè verò, aut iure, aut facto. Iure, si quis versetur in locis non occupatis, ut: mari, solitudine, insulis vacuis, & si qua alia sunt loca, in quibus nulla est civitas. Facto, si subditi iudicem non audiant, aut iudex aperte cognitionem rejecerit. Verba sunt Grotii lib. 1. de I. B. P. c. 3. n. 2. Hoc vult, posse aliquando læsum jus aut rem suam per vim repetere, aut imminens periculū avertere, sic, ut vi uti nullo, jure prohibeatur, destitutus scilicet iudiciorum adminiculo, sic, ut vel iudicii copia omninò non sit, vel ejus non sufficiens sit autoritas; in tali igitur necessitate constitutus jus hactenus non habet reliquum, nisi in innocentia & manu sua. Sed & in tali rerum humanarum περιπέσει multa & facere & pati lex charitatis & patientiæ jubebit, ut certè à vi bellica abstinendum sit.

XVIII. Priscis igitur gentium temporibus cum iudicia

nondum essent constituta, vel non satis benè, imò malè, sive omninò, sive ex parte essent constituta, sicut illorum non esset sufficiens auctoritas: aut si commune iudicium non haberent, inter quos de injuria facta erat disceptatio; armis, bellis & duellis se suaque tueri, & cædes aliaquè facinora mutuis cædibus & infesta vi ulcisci solebant. Quandoquæ enim desinunt Judicia, exortis litigiis nulla bona conditione compositis, incipiunt Bella. *Nec aliundè origo singularium certaminum, quæ ante Christianismum Germanicis nationibus usitata, alicubi necdum satis desueta sunt;* inquit Grotius 2. de J. B. & P. c. 20. n. 8. Ideo apud Vellejum Paterculum lib. 2. mirantur Germani, cum Romanæ jurisdictionis formam conspicerent, quod injurias justitia finiret, quod solita armis discerni jure terminarentur. Cæterum cum hodie generosissimi quique, *domi bellig. duellatores optimi,* ut ait Comicus, haberi videriquè velint, & ex frivolis ac sæpè planè injustis causis se confodiant, varia Duellorum genera penitus paulò inspiciemus, & cujusque vel jus vel injustitiam ponderabimus, operæ pretium satis magnum facturi, si vel unicam animam diabolico huic dimicandi generi & exitio eripuerimus.

XIX. Duellum quodlibet propriè dictum, est aliquod bellum, uti satis apparet cum ex re ipsa, tum ex promiscua harum vocum à veteribus facta usurpatione, veteriquè illa formula, **PIO PUROQUE DUELLO.** *Ipsum enim Bellum est ex voce veteri Duellum: ut duorus quod fuerat factum est bonus: & duis bis. Duellum autem à duobus dictum simili sensu, quo parem veritatem dicimus;* inquit Grotius de I. B. P. lib. 1. c. 1. n. 2. Cum verò Bellum aliud sit Publicum, aliud Privatum, hoc sæpè distinctà significatione Duellum dici adsolet, sive Monomachia. Quin & hæc ipsa potest esse duplex, extra bellum, & in bello: ista & privatam habet causam, & sæpè libidinem: hæc causa nititur publica, adeoque ad propriè dicti Belli naturam accedit. De priori, privato inquam Duello, nostra erit consideratio.

Sicuti

Sicuti jam Bellum aliquod vel est Justum vel Injustum, ita etiam Duellum aliquod justum est, aliquod injustum. Demonstratum enim jam tum fuit, cessante Judicio, Bello & Duello quandoquæ injurias vindicare licere, & inolito amore sui atq; indigentia quemlibet justè excitatum se suaque defendere, aggressoresquæ arcere posse. Doctores hujusmodi Duella Necessaria vocant, quod quædam quasi necessitas ab invasoribus imponatur, talem defensionem suscipiendi, sic ut, si salvus esse, aut res tuas tibi salvas esse velis, necesse sit hac ratione vim vi propulsare, quandoquidem Judicis nulla suppetat copia. Atque ita hæc Duella differunt ab iis, quæ planè liberè, consultò & ex conventionem instituuntur. Etsi igitur talia Duella sint licita; *Nam jure hoc evenit, ut quod quisque ob tutelam corporis sui fecerit, jure fecisse existimetur l. 3. ff. de L. Et vim vi defendere omnes leges omniaquæ jura permittunt. l. 4. §. l. 45. §. 4. ff. ad l. Aquil. l. 1. §. 27. ff. de vi & vi arm.* Non tamen nisi certo modo sunt licita. Non enim quovis modo, & in infinitum, hoc est, donec aggressorem tuum interfeceris, tua semper progredi debet defensio; sed cum modo, seu ut eleganter hoc dicitur in *l. 1. C. unde vi, cum moderatione tutelæ inculpatæ*, hoc est, ut tantam vim opponas, quanta tibi intenditur, aut ingruit, idquæ facias, tantum defendendi, non ulciscendi gratia. *Illum solum*, inquit Paulus *l. 45. §. 4. ff. ad l. Aquil. qui vim infert, ferire conceditur: & hoc, si tuendi duntaxat, non etiam ulciscendi causa factum sit.* Addatur Cujacius *5. Observ. c. 18.* Sed hac generali regula nondum satis est explicatum, quid sit moderatio tutelæ inculpatæ; cum enim culpæ sint gradus, metus etiam & periculum admodum varium esse queat, in quæ incidimus, aliaquæ singularia in quolibet facto & defensione attentè sint ponderanda, cum Alfeno *Jcto ex l. 52. §. 2. ff. ad l. Aquil. responderim; in causa jus esse positum*, sitne tutela inculpatæ, an cum aliqua culpa conjuncta. Ut adeò rectè videatur sentire, qui Judicis prudentis arbitrio committendum esse putent, sintne limites tutelæ inculpatæ

pata exactè observata, nec ne. Quos vide apud *Carpzov. part. 1. tract. crim. qu. 28. n. 17.* Cui addatur *Georg. Obrecht, de Necess. defens. c. 12. & 13. Farin. p. 5. qu. 125. Berlich. p. 4. concl. 12.*

XX. Præter alias verò facti circumstantias, hæc tria cum primis expendenda esse Doctores monent, Causam, Tempus, Modum. Causa justæ defensionis est injusta offensio vel insultatio: absq; quasi fuerit, non ad defensionem, sed ad vim iniquam aut vindictam te resistendo vel oppugnando instrues. Ratione temporis ad justam obfensionem requiritur, ut periculum sit imminens, & propter Judicii opem vel continuè vel isto momento cessantem indeclinabile, ac fortè ut irreparabile hinc damnum sit exstiturum. Denique ut tanta in propulsando tali periculo adhibeatur vis ac defensio, quanta vi aggressor iniquè adversus defensurum utitur. Vel uti nonnulli Jcti loqui amant, ut defensio sit proportionata offensionis. *Frantz. lib. 2. resol. 23. n. 7.* His ergò aliisq; ue circumstantiis cautè observatis, si quis aggressorem acciderit, non solum à pœnâ homicidii ordinariâ, sed & extraordinaria immunis erit. *Carpz. d. qu. n. 20. seqq.* ubi ὅλω τῆ θυκᾶτω congestos videre licet Doctores alios. Quod si quis limites tutelæ inculpatæ in defensione transgressos aggressorem occiderit, pro varii generis gradusq; culpa, varia pœna, eaq; ferè extraordinaria facinus expiabitur. *Obrecht. de necess. defens. c. 13. Jul. Clar. l. 5. sent. §. homicidium. n. 34. Mascard. de probat. l. 5. concl. 1126. n. 30. Menoch. de arb. jud. quest. l. 2. cas. 278. seq. Dambond. pract. orim. c. 76. n. 20. Card. Tusch. tom. 2. concl. 129. n. 4. crim. qu. 219.* Cum primis autem adeundi sunt, qui commentati sunt in Heræsin Carolinam, *ad art. 139. & seqq.*

XXI. Miror verò summum Jctum, Carpzovium passum fuisse sibi imponi à Mario Salomonio, qui *in crep. l. 3. ff. de Just. & Jur. n. 10.* inter moderamen defensionis & inter moderamen inculpatæ defensionis seu tutelæ distingvendum esse docet. Quam distinctionem iste eximiè commendat & in determinatione



tionē poenæ accuratè observandam esse monet. Nam ut occidens ad sui defensionem nullam patiatur poenam, non solum necesse esse ait, quod servaverit moderamen defensionis seu tutelæ, sed etiam inculpatæ tutelæ. Vide illum *d. qu. 28. n. 16. & 17.* Si enim iusta lance hanc distinctionem trutines, omninò deprehendes moderamen tutelæ, & moderamen inculpatæ tutelæ esse *ταυλόν*, neque inter hæc aliquod discrimen esse, nisi quod posterior loquendi modus sit explicatior & quendam contineat *πλεονασµόν*, prior autem sit concisior. Si enim quis servaverit moderamen tutelæ, justum modum seu justum moderamen tutelæ observasse intelligendus est, atq; sic utique tutela illa fuerit inculpata. Quod si verò non observaverit, debitum justumq; tutelæ modum, qui poterit dici moderamen tutelæ servasse? Qui enim intra tutelæ modum se continet, intra limites licitæ defensionis substituisse, non autem culpâ quâdam illos excessisse putandus est, aut certè hac admiffa, modum hæcenus non tenuit, utpote quem destituit Justitia & Prudentia. Quemadmodum enim etiam aliis in rebus modum tenuisse dicimur, non si qualicumq; modo fuerimus usi, sed si eo, quæ præfinit Recta Ratio; ita quoq; non alius modus vel moderamen defensionis intelligi debet, quàm qui immunis sit à culpa. Et verò ipsa *l. 1. C. unde vi.* Unde hæc phrasis petita est, huic expositioni favet; Primò enim Imp. sanciant, rectè possidenti, ad defendendam possessionem, quam sine vitio tenebat, illatam vim propulsare licere, eamq; tutelam fore inculpatam, si moderatio accesserit, quæ verò nisi ea, quæ justitiæ & prudentiæ regulis sit attèperata? Ego certè vereor, ne ista distinctio observata in judiciis potius erroribus sit apertura, quàm ad veritatem cõmonstratura viam; quam tamen si quis studio partium pertinaciter tueri velit, huic vim fieri veto.

XXII. Cõterum, quatenus adversus injustam vim se defendendo progredi liceat, quosdam ex Grotio casus *lib. 2. de J. B. & P. c. 1.* huc transferemus. Si igitur ab aggressore vi impetatur

cor-

corpus meum, cum præfente vitæ periculo, idq; mihi alia ratio-  
ne declinare non liceat, duellum ita erga hunc est licitum, ut si  
in tali consilio & actu perseveret, interficere illum liceat. Tan-  
ta enim hic est defensio, quanta infertur violentia; etiam si dis-  
paribus armis simus instructi. *Dambond. præct. crim. c. 76. n. 14.*  
*Wesemb. cons. 19. n. 57. Carpz. d. q. 28. n. 27.* Dico non requiri pari-  
tatem armorum specificam, ut tamen generica adsit; neq; enim  
aliàs inter offensionem & defensionem erit proportio, aut  
debita tutelæ moderatio observabitur. *Bethov. ad Trent. vol. 1.*  
*disp. 18. tb. 7. ht. E.* Per iniquam vim in præsentissimum discrimen vitæ adducor; ideòq; cum jacturâ vitæ aggressoris mihi  
me expedire licet, ita ut nec primû ictum excipere vel expecta-  
reteneat. *Gothofr. ad l. 4. C. ad l. Corn. de sicar. Art. 140. Const. crim.*  
*Carol. & ibi Matth. Steph.* Pertinet huc illud Ciceronis pro Mi-  
lone: *Non hæc scripta, sed nata est lex, quam non didicimus, accepi-*  
*mus, legimus; verum ex natura ipsa arripimus, hausimus, expressi-*  
*mus, ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus; ut*  
*si vita nostra in aliquas insidias, si in vim, in tela latronû, aut inimico-*  
*rum incidisset, omnis honesta ratio esset expedienda salutis.* *Add. l. 2.*  
*cum seqq. C. ad l. Corn. de sicar. Gail. lib. 1. de P. P. c. 16. n. 17. Clar. 5.*  
*sent. §. ult. q. 60. Brunnon, ad l. 2. & 3. C. d. t. Dd. ad art. 140. san-*  
*ctionis crim. Carol.* Atq; hoc defensionis jus ait Grotius *d. l. n. 3.*  
nasci ex amore sui, quo naturaliter quisq; sibi commendatur.  
Quod ita accipiendum est, commendatam quidem cuiq; natu-  
raliter esse defensionem adversus imminens & iniquum peri-  
culum: ut verò illud propulses nece aggressori illata, hujus qui-  
dem defensionis jus proximè videtur oriri ex injuriâ invasoris,  
*Carpz. p. 1. d. qu. 28. n. 21.* Quod si verò talis sit aggressor, qui qui-  
dem propriè dictam injuriam inferre nequeat, si tamen hinc  
periculum vitæ immineat, neq; illud nisi nece invasoris decli-  
nari possit, etiam talem invasorem ex commendatione natu-  
rali occidere licebit. Itaq; si homo furiosus in eo sit, ut mihi  
vitam eripiat, idq; periculum aliter evitare nequeam, non ma-  
gis huic, quàm bestię me involanti ut parcam, obligor. Sed ut

dixi, periculū invasionis præfens esse debet, & quasi in puncto: quod licet aliquando, uti fit in moralibus, cum aliqua latitudine intelligi possit, non tamen qualiscunq; periculi metus jus occupandæ interfectionis jus dat. Deinde & illud cum primis notari debet, non licere quemquam occidere, si alio præsidio tutus esse, & periculum declinare queam, si vel judicis sit copia, vel temporis mora, ut vel hunc vel alios auxilio vocare, aut fuga vel aliàs periculo me subducere queam. Quod si ipsa fuga sit cum periculo conjuncta, talem arripere nemo tenetur. Periculum enim qui fugere velit; non necessum est, ut in periculum se fugiendo conjiciat.

XXIII. Idem Grotius *d. c. n. 7.* rectè existimat, eum, qui pudicitiam alicujus vi expugnare attentet, neq; ista vis ac injuria aliâ ratione averti queat, licitè interfici posse. Paulus *5. sent. tit. 23.* *Qui latronem cadem sibi inferentem, vel alium quemlibet stuprum inferentem occiderit, puniri non placuit. Alius enim vitam, alius pudorem publico facinore defendit.* Gemina huic lex est *1. §. 4. ff. ad l. Corn. de Sicar.* Cui addatur *l. 8. §. 2. ff. quod met. caus.* ubi rectè dicitur, bonis stupri metum majorem esse quàm mortis. *Adolescens, inquit Cicero pro Milone, qui tribunum occiderat, volentem vim inferre ejus pudicitia, à Mario exercitus imperatore absolutus fuit.* Ratio est, quod illa atrox quædam vis sit, & injuria, quæ ab aggressore expleta restitui à Judice post nequit, ut nec vita semel amissa, etiamsi animus imminutionem atrocem passæ mulieris sit innocens, nullamq; infamiam maculam contrahat, *l. 20. C. ad l. Jul. de adult.* Hinc Moses Maimonides notavit, permissam privato homini alterius interfectionem non aliter, nisi ut servetur id, quod est irreparabile, ut Vita & Pudicitia. Hanc quæstionem tractans Grotius, adducit etiam in Annotatis suis textum Augustini *lib. 1. de Libero arbitrio*, quem ille hunc in modum recitat: *Lex dat potestatem vel viatori ut latronem, ne ab eo ipse occidatur, occidat, vel cuiquam viro aut femina, ut violenter sibi stupratorem irruentem, aut post illatum stuprum, si*

possit interimat. Hæc cum legerem, protinus mirari cœpi, & ἐπέ-  
χευ, & tandem planè ab Augustino discessionem facere. Si  
enim imminutionem violentam passa post stuprum jam illa-  
tum interficiat stupratorem, nil jam nisi ultio est, non autem  
defensio: atq; hanc uti licitam esse diximus, ita istam non item  
licere suprâ ostendimus. Huic igitur Augustini textui dum im-  
moror, & locum ex Julii Pauli Sententiarum libro 5. allegatum  
confero, deprehendo Cujacium in suis ad Paulum notis eun-  
dem Augustini textum allegasse, sed postremis verbis planè à  
Grotiana lectione discrepantibus, hoc modo: *Lex dat potesta-  
tem vel viatori ut latronem, ne ab eo ipse occidatur, occidat: vel cui-  
piani viro aut fœmina, ut violenter sibi stupratorem irruentem, ante  
illatum stuprum, si possit, interimat.* Præterquam verò quod hanc  
postremam lectionem etiam præ se ferant editiones Augustini  
Basiliensis, quæ prodiit Anno 1569. & Parisina postrema, quæ  
prodiit Anno 1651. nullum est dubium, quin vel Grotius  
ἀμάρτυμα μνημονικὸν hic commiserit, aut alia aliqua cul-  
pa textus in ejus opere sit corruptus. Augustinus enim licet  
fateatur, esse Legem, quæ permittat latronem, aut violentum  
stupratorem occidere, disertis tamen verbis pronuntiat, Le-  
gem illam non esse justam: cujus sententiæ sicut rationem ha-  
beret, si lex tale quid etiam post stuprum illatum permitteret;  
ita ut stuprum tali ratione evitetur, non suppetente alio reme-  
dio, ratione nulla facilè destruet. Et vix video, quomodo sibi  
eruditissimus Pater constet, quando ibidem ita mox differit:  
*Multò est mitius, eum, qui alienæ vitæ insidiatur, quàm eum, qui suam  
tuetur, occidi. Et multò est immanius, invitum hominem stuprum  
perpeti, quàm eum, à quo vis illa infertur, ab eo, cui inferre conatur,  
interimi.* Ipsa lege divina tale facinus homicidio æquipara-  
tur. Deuter. 22. v. 26. Et licet ibi speciatim Deus loquatur de  
desponsata virgine per vim stuprata; nihilominus generatim  
violenti stupratores ultimo supplicio rectè adfici jubentur, l. 1.  
§. ult. ff. de extraord. crim. l. 29. §. ult. ff. ad l. Jul. de adult. junct. a. l. 5. §.  
ult.

*ult. ff. ad l. Jul. de republ. art. 119. Const. crim. Carol. Carpz. p. 2. pract. crim. p. 75.*

XXIV. Si quis in presenti periculo sit, ne membro aliquo nobiliori privetur, aut ab injusto aggressore mutiletur, si aliter vitari nequeat mutilatio, dubium què sit, annon illa periculum mortis post se trahat, & is licitè interimiri posse videtur. *Grot. d. l. n. 6.* Licet enim privatio membri & vitæ sint disparia damna, adeoque non semper idem liceat pro conservatione membri cujuslibet quod pro conservatione vitæ licuerit; si tamen illud sit è præcipuis, vitæ quodammodo æquiparabile, atque is, qui invaditur, vix dijudicare aut prospicere queat, quo sine aut periculi damne gradu læsio sit constituta, hætenus pro illo conservando interimere aggressorem licebit; maximè cum etiam fortunas interdum cum pace invaloris defendere liceat. Si enim membra sublata fuerint, hujus damni non datur reparatio, neque illorum per se exacta poterit esse æstimatione. Quippe liberum corpus æstimationem non recipit. *l. 3. ff. si quadr. paup. fec. dic. l. 7. pr. ff. ad l. Aquil. l. 1. §. 5. & l. ult. ff. de his qui dej. vel effud. l. 2. §. 2. ff. ad l. Rhod. de jact.* Legibus tamen civilibus antiquis, imò, ut puto, antiquatis Anglorum, Werinorum, Frisiorum, Saxorum, valde sollicita etiam membrorum quorumlibet æstimatione fuit definita. Et quidem Jure Saxónico qui vulneraverit quempiam, aut mutilaverit, ad tria obligatur, Emendam, Interesse & Pœnam. *Carpzov. p. 2. pract. crim. qu. 99. n. 28.* Emenda loco satisfactionis datur vulnerato vel mutilato pro membro vel amisso, vel corrupto, & doloribus hinc perceptis: differt què à multa, quod hæc judici detur, ista actori. Ut etiam interesse præstetur, atque hætenus vel intermissæ operæ fiat æstimatione, vel intermittendæ deinceps propter sublatum vel corruptum necessarium agendi instrumentum æquissimum, Jurique etiam Romano conveniens est. Quò etiam pertinent impendia, quæ in curatione facta sunt. *l. 7. pr. ff. ad l. Aquil. l. ult. ff. de his qui effud. vel dej.* Denique

Pœna infligitur propter ipsum delictum, ut satisfiat Justitiæ u-  
niversali: quemadmodum Justitiæ Particulari satisfieri volue-  
runt per Emendam, ac si corruptio vel mutilatio membri ea  
emendetur seu reparetur. Videtis Glossarium Somneri.

XXV. Monendum hîc interim est, Justam sui defensio-  
nem quando esse dicimus, duplici hoc posse accipi sensu. Ju-  
stum enim propriè id dicitur, ad quod vel faciendum vel omit-  
tendum sumus obligati. Impropriè verò justum etiam dicitur,  
quod non est injustum, adeoque quod est Licitum: quæ po-  
sterior significatio multum à priori distat, quod quæ licita tan-  
tùm sint, ea facere & non facere integrum sit: at illa, ad quæ sim-  
pliciter vel faciendâ vel fugienda sumus obligati, nostro arbi-  
tratui ita relicta non sunt. Quæritur igitur jam, utro sensu De-  
fensio sui sit justa? Tantum non omnes Doctores posteriori  
solùm sensu putant defensionem esse justam, hoc est, licitam.  
Ego verò non dubitem adserere, utroque sensu defensionem  
esse justam, non quidem ubique, aut in quolibet eventu; sed  
quod modò possit esse solùm licita, modò obligationis nexu ju-  
sta. Quemadmodum enim accidere potest, ut ne quidem li-  
cita sit sui defensio, si in vasoris vita multis sit admodum utilis,  
& sit publica persona, tum meo unius bono multorum majus  
bonum ut præferam, charitas monet sæpe, imperat interdum;  
secus atque sentit Ferd. Vasquius *lib. 1. Illust. controv. c. 18.* Ita si  
ejusmodi publicè multisque utilis persona, & à Deo singulari  
prudentiâ aliisq; in usum humanum bonis locupletata ac or-  
nata impetatur, non dubitem, illam, si vim aliter avertere ne-  
queat, ad necem desperati in vasoris occupandam, salva in aliis  
casibus patientiæ lege, esse obligatam. *Carpzov. p. 1. pract. crim.*  
*qu. 28. n. 11.* Habet hic locum illud Lucani:

*Cum tot ab hac anima populorum vita salusq;  
Pendeat, & tantus caput hoc sibi fecerit orbis,  
Sævitia est voluisse mori.*

Cæterùm hæc lex sicuti non iis omnibus imponenda est,  
quos

quos vivere, aliorum interest, nullum tamen invenire locum, nisi solum in personis publicis, hautquaquam dixerim. *Grot. d. c. 1. n. 8. & 9. & Cl. Bæcler. Theologi morales & Casuistæ non uno modo in his quæstionibus definiendis utuntur. Quippè alii monent, distingvenda esse Consilia, ad perfectionem pertinentia, non ad necessitatem, ab eo, quod in foro conscientiæ licet vel non licet. Præterea etiam Legem Charitatis cum Lege Naturæ minimè confundendam esse docent. Quæ pensculatius jam examinare nostri instituti non est. Vid. Dicastillo lib. 2. tract. 1. disp. 10. dub. 2. Vasq. lib. 1. contr. illustr. c. 18. n. 17. Illa certè nimis sunt cruda: quæ scribunt Salomon. ad l. 3. ff. de Inst. & Jur. & Fr. Zoannett. de necess. defens. part. 1. n. 3. seq. ac si vim iniquam passo ita necessarium sit aggressorem interimere, ut non minus hoc intermittens peccet, atq; si sibi ipse manus intulerit. Meliora his docuit Grotius d. c. 1. lib. 2. cujus tamen dogmata non promiscuè probamus, ceu exactius illud in Commentario meo ostendi.*

XXVI. Transeo ad res seu bona fortunæ, quæ si nobis à furibus, raptoribus & latronibus eripiantur, quæritur, an ad illa conservanda, si ita res ferat, & opus sit, liceat tales facinorosos interficere? Hic quid sit respondendum, valde est ambiguum, cum primis tam diversas Doctorum opiniones si videas. Dicam tamen quod sentio liberrimè. Primò quidem bona fortunæ quod attinet, si in iis unicè fiat læsio; regulariter neutiquam crediderim, illa bona ut nobis sint salva, lædentem interfici posse, cum primis si non magni sint pretii: id quod videtur etiam Servator noster docere nos voluisse, quando monet, tunicam rapienti permittendum quoq; esse pallium. Grotius hac de re ita d. c. n. 13. *Si res servari potest, ita ut non videatur periculum esse faciendæ cadis, rectè id quidem, sin aliter, omittenda res est: nisi fortè talis aliqua res sit, ex qua vita nostra & familia nostra pendeat, quæq; judicio recuperari nequeat. Concedit quoq; in nostram sententiã acutissimus Jctus Bachovius, cujus hæc sunt verba ad*

*Wesemb. tit. ad l. Aqu. n. 4. Eorum opinionē, qui defensionem etiam usq;  
ad occisionē res invadentis licitam esse putant, ego falsam puto nisi ha-  
bētenus, quatenus ex aggressore rerum sit aggressor persona. Nam si  
mibi res meas legitime defendenti incipiat ferrum & mortē intentare,  
legitime poterit occidi. Illud enim meretur præprimis diligenter  
expendi, quod vix fiat læsio in bonis fortunæ, quin etiā alia bo-  
na in discrimen vocentur. Latrones enim ut spolient homines,  
vitæ ipsorum ferè insidiari, eosq; opprimere ante solent. Ad-  
versus hos quid liceat, ex superioribus est liquidū; ab his enim  
non solum pecunia, sed propter hanc & vita impetitur. Rapto-  
res parū ab his differre solent. Sed sint tamen illi tales, qui ho-  
mines quidem obtruncare nolint, metu tamen mortis inferen-  
dæ bona ipsis eripiant. Hic verò notandum est, tali eventu non  
fieri læsionem in solis fortunæ bonis, sed & in securitate, magno  
perfecto bono, & sine quo nullo alio bono nobis solidè perfrui  
licet. Præterea omnes Legislatores hunc hætenus morem ob-  
servârunt, ut quò major est Securitatem imminuendi facultas,  
eò atrocior illa vis habeatur, graviusq; puniatur. Cur enim,  
qui in via publica seu regia viatorem veste spoliârunt, capite,  
aut infami suspendio plectuntur, aut rota contunduntur? Cur  
miles contra edictum ducis gallinā Alphesibœi rapiens globu-  
lis plumbeis transverberandus exponitur? cur furem noctur-  
num à diurno, eum qui cum telo fuerit, nec ne, manifestum à  
nec manifesto distingunt? Non sanè aliam ob causam, quàm  
quod magnum illud securitatis bonum alii aliis magis lædant.  
*l. 4. §. 1. l. 5. pr. ff. ad l. Aquil.* Atq; hinc raptoribus & prædoni-  
bus etiam propter rem minimam ultimum supplicium decer-  
ni, locuples testis est *Carpzov. p. 2. pract. crim. qu. 90. n. 43. seqq.*  
Cui add. *Dd. ad art. 126. Const. crim. Carol.* Qui enim maxi-  
mè lædit securitatem, is videtur maximè improbus, maximèq;  
non solum appetere bona fortunæ, sed etiam odisse societates  
humanas, quæ sine tranquillitate & securitate subsistere neque-  
unt. Si igitur & hoc accedat, ut metu mortis tibi tua bona ex-  
tor-*



torqueat raptor in via publica, non dubito, quin liceat etiã talẽ illata nece occupare. Primò enim impetitur mea pecunia: deindè etiam metus inferitur & gravis & injustus, de cujus exitu incertus sum; nec enim exempla defunt, quod bonis jam extortis raptores nihilominus vulneraverint aut interemerint innocentes homines, vel grandi malitia commoti, vel ne facinus ad Magistratum emanaret. Denique læditur securitas, non tam meum, quàm commune bonum: adeòq; tali raptori si parcam, vefano illius appetitui stimulos addo, ut tantò frequentius & audaciùs idem malum & aliis intentet. Merentur hic quædã Cl. Bœcleri legi, quæ is ad d. c. Grotii *n. n.* commentatus est. *Ori-go, inquit, hujus juris (puta quo res quandoq; defenduntur illata in vasori nece) non tam ab æstimatione rei (quanquam illa non facit nullum momentum) quàm à securitate societati civili & gentium proposita, repeti debet: ut certa & tuta cuiq; sit rerum suarum possessio & custodia. Quam cum natura sanciat, eadem operatur tutela & defensionem rerum favet, turbatoresq; & violatores arcet, præcipuè quidem ex præscripto ordinis socialis, summæq; potestatis & judiciorum auctoritate; sed ubi Judicis nulla copia, proprio cuiusq; domini auspicio & viribus. Quo in actu jure naturæ licito, id quoq; naturale est, ut limites defensionis custodiantur, nec ad vindictam saltus fiat. Fieret autem etiam tum, si rei non magna causa ad interfectionem usq; procederet defensio. Ex his etiam de reliquis judicium fieri potest. Quò enim graviùs læditur securitas, eò plus juris nobis adversus tales invasores nascitur. Quod si verò res sit exigua, & quoq; exigua securitatis læsio, potius amittenda res est, nec cum cæde invasoris retinenda. Proindè magna Vasquio fuit causa hæsitandi, quatenus defensio rerũ prægredi possit, an quoq; ad necem invasoris; minimè verò idonea satisq; gravis, in genere vox pronuntiandi, licere propter rerum defensionem invasores occidere, petita ratione ex lege divina circa fures lata: quæ sanè rectè est accipienda, nec ad aliena iniquè transferenda. In qua interpretanda eruditè versutus est Grotius d. c. *n. 12.* ubi etiã*

nos quædam in nostro commentario adjecimus. Vasquius  
legi poterit *lib. I. d. c. 18. n. 5.*

XXVII. Non possum, quin verbo moneam, quid in illos grassatores liceat, qui cursores publicos, Postas dictos, sive equis sive curribus vehantur, sociosq; itineris aggrediuntur, & nimis quàm frequentibus jam experimentis miserè non solum spoliant, sed multis sæpè modis vexant, vulnerant, equos ante currus, & sæpè homines ipsos prosternunt. Quid sentiam ex superioribus satis liquet. Præterquam enim quod læsio fiat atrox in bonis fortunæ, & securitate, viaq; publica, etiam Regalia principum tales involant. Cumq; autoritate publica isti cursores publici sint specialiter muniti, sanè eadem & socii itineris omninò gaudere & uti poterunt, adeòq; violentiam istorum grassatorum etiam cum nece ipsorum avertere. Legi hic meretur *l. 1. § 2. C. quando lic. unicuiq; sine jud. se vindicare. Liberam resistendi cunctis tribuimus facultatem, ut quicumq; militum vel privatorum ad agros nocturnus populator intraverit, aut itinera frequentata insidiis adgressioni obfederit, permissa cuicumq; licentia digno illicito supplicio subjugetur, ac mortem, quam minabatur, excipiat, & id, quod intendebat, incurrat. Melius enim est occurrere in tempore, quàm post exitum vindicare. VESTRAM igitur vobis permittimus ultionè, & quod seruum est punire iudicio, subjugamus edicto, ut nullus parcat militi, cui obviare telo oporteat, ut latroni. Altera lex est: Opprimendorum desertorum facultatem provincialibus jure permittim⁹. Qui si resistere ausi fuerint, in his velox ubiq; jubemus esse supplicium. Cuncti enim adversus latrones publicos, desertoresq; militia, jus sibi sciant pro quiete communi exercenda publica ultionis indultum. Grassatores, inquit Jctus l. 28. §. 10. ff. de pæn. proximi latronibus habentur: & si cum ferro adgredi, & spoliare instituerunt, capite puniuntur: utiq; si sæpius, atq; in itineribus hoc admiserunt. Vi igitur istarum Constitutionum non solum defensio subditis, sed & ultio & pœnæ exsecutio publica autoritate est permissa seu confirmata. Quam sanè executionem in societatis humanæ, publicæ*

licæ pacis & commerciorum hostes satis gravibus moti causis  
 Legislatores etiam subditis extra ordinem committere possunt,  
 ut non solum illos impunè occidant, sed & justè; secus atq; sen-  
 tit Grotius *d. c. n. 14.* ubi in nostro commentario plures ejus  
 hallucinationes notavimus. Sæpè enim raptores & grassato-  
 res ejusmodi habent latibula aut receptacula, ut difficillimè ex-  
 trahi ex iis possint: sæpè agmine facto stipati, aut armis per-  
 niciosissimis instructi infestam habent securitatem & vias pu-  
 blicas, ut prehendi, judicio sisti, & ordinaria via cum illis proce-  
 dere ad pœnam haut facilè liceat; ut adeò his similibusq; cau-  
 sis Magistratus adacti rectè, quibuslibet suum ulciscendi jus  
 permittant. Cum primis verò Principum, & quotquot terri-  
 torii jus habent, officium est, ut quantam possunt securitatem  
 viis publicis, iisque incedentibus præstent, & grassatoribus, pes-  
 simis hominibus, minimè quidquam indulgeant. Ideò enim  
 eo loco à Deo sunt constituti, ideò à subditis preces pro felici  
 ipsorum regimine concipi jubentur, ut ipsis securis & pacatis sub  
 eo vivere liceat. Germaniæ nostræ Principes & Status quod at-  
 tinet, illi quidem etiam speciali conventionione ac lege ad illud  
 præstandum obligati sunt. Ita enim legere est Rec. Augustano,  
 1555. Nach dem aber ein jeder Chursfürst/Fürst und Stand/sein  
 Chur-und Fürstenthumb/Land und Gebiet/auch Strassen/rein/  
 und darzu nothdürfftige streiffende Rotten zu erhalten/ und die  
 Verschung/damit sich nicht muhtwillige Leute in seiner Obrig-  
 keit zusammen schlagen/ und andere beichädigen/ zu thun schul-  
 dig; Was dann einem jeden hierauff lauffen oder auffgehen  
 wird /solches soll auff gemeine Cräns-Stände nicht geleyet wer-  
 den/ sondern es derselbig Chursfürst/Fürst oder Stand für sich un-  
 auff sein eigen Kosten verrichten. Sed inquis, quis custodiet  
 & coërcebit ipsos custodes? Vigilans princeps, dux justus, & gra-  
 vior pœna. Alioqui perpetuò illa repetetur Huberti Langveti  
 ep. II. ad Camerarium querela: *Miserum est & penè pudendum in  
 tanto imperio licere cuilibet impunè turbare publicam tranquillitatē,*

Et eos, qui verum potiuntur, aut nolle aut non posse aliquot latronum  
furorem & audaciam compefcere. Adde Landfrieden de Anno 1548.  
tit. von einfpännigen Knechten. & Ordin. Camer. p. 2. §. 15. Gailius  
de pac. publ. l. 1. c. 4. n. 36. feqq. Tantum de Duellis necessariis,  
quæ an pura piaq; fint, aut aliquam culpam implicent, ex jam  
dictis fortè dijudicari poterit; licet non omnia attulerimus,  
quæ de iis dici poterant, quod horum Duellorum jus ferè in  
caufa fit pofitum; ceu fuprà pluribus oftensum eft.

XXVIII. Solent, qui de Duellis fcripferunt, etiam huc  
referre Haftiludia feu Torneamenta, quæ Duella ludicra appel-  
lant. Sed cum omne Duellū propriè dictum fit aliquod bellū;  
eo verò animo iftis ludis decertantes non ingrediantur, Duel-  
lum propriè non erit. At, inquis, fapè accidiffe, ut alteruter  
in ejusmodi certamine occubuerit. Nam & exemplo eft Gal-  
liæ Rex Henricus II, qui à Mongomerio cohortis prætorianæ  
præfecto transfixo dextro oculo exanimatus eft: de quo Thua-  
nus lib. 22. Et Francifcus Borbonius Anchianus, qui in infelici  
ludo, cervice luxata, & cerebro rupto, periit. Ita quidem eft;  
fed diftingvendum eft inter actus periculofos triftemq; fapè e-  
ventum habentes, & actus verè hoftiles: ifti ut in funt iftis ludis,  
ita hi ab illis abfunt. Præftat verò ejusmodi periculofos noxi-  
osq; ludos intermitteri atq; aboleri à Majeflate civili, quàm ut vel  
fe vel alios iftis difcriminibus & cafibus fubjiciant. Idq; tantò  
facilius fieri poteft, quod ifti ludi fingularem in bello ufum vix  
ampliùs habeant, ratione ejus multum mutata indè ufque ab  
Henrici Aucupis temporibus, cui autori torneamenta accepta  
referunt: uti ferè jam etiam in defvetudinem venerunt; nifi  
fortè illuftrium perfonarum nuptiis, aliisve fimilibus feftivita-  
tibus, aut explorandæ genuinæ nobilitati quandoq; adhibean-  
tur. Neque enim ad illa admitti confveverunt, nifi qui nata-  
les fuo ex quatuor generationibus utriusq; fexus Nobilium de-  
rivaffent, Sie mußten vierfchildig feyn/oder beweifen/dasß sie von  
vier Väter und Mütterlichen Ahnen geboren und herkommen.  
Munft.

Munſt. in *Cosmogr.* l. 5. c. 418. Quò etiam magnam partem ſpectant XII. Leges Torneamenti conditæ: quæ neſcio quâ fide vel autoritate Henrico Imp. acceptæ feruntur, & ab illo in conſilium adhibiti dicuntur Cunradus Comes Palatinus ad Rhenû, Hermannus Sveviæ dux, Bernardus Baviariæ & Cunradus Dux Franconiæ, qui ſinguli ad has ſanctiones tres viros delegerint uſu harum rerum præſtantes, quibus in ſuper alios tres viros Imperator addiderit. *Limn. lib. 6. de jur. publ. c. 5. Draco de Patriciis. lib. 1. c. 11. Bocer. de Bell. & duell. lib. 2. c. 4. Georg. Rixtan. Thurnierbuch/ Franc. Nodius Pandect. Triumphal. Caſp. Perch in diſcur. de ord. Equeſtri. Simon. Majol. dier. canicul. tom. 2. colleg. 6.* Et qui primo loco debuiffet poni Reinhardus Comes Solmenſis in lib. germ. *Von des Adels Urfprung.* Jure ſanè Canonico haſtiludia hæc. (quæ c. 1. X. de torneam. deſtabiles nundina ſeu feria appellantur) ita fuerunt damnata, ut ſi quis in iis antagoniſtam ſuum oppreſſiſſet, teneretur ex l. Cornelia ad homicidii pœnâ luendam, tum ut occiſus ſepultura Eccleſiaſtica careat. Poſteriorius videre eſt ex c. 1. & 2. X. de Torneament. unde, vel aliis inſuper moti rationibus etiam prius, quod alioqui ibi diſertè non invenitur, colligere ſolent Doctores. Proba etiam eſt ſententia Abb. Panormitani in c. felicis X. de torneament. dicentis, *omnes ludos, in quibus periclitatur hominis ſalus, aut animarum, omninò tollendos eſſe; quod pugnent cum verbo Dei.* *Brunnem. ad l. un. C. de gladiat. Perez. ibid. n. 3 & 4.*

XXIX. Videamus jam illud Duelli genus, quod Judiciale vulgò quidem at perperam appellant, quo in ſubſidium deficientis probationis ac purgationis utebantur, vel ſua litigantes voluntate, vel Judicis ad id ſuſcipiendum autoritate adducti. Atque hoc Duellum cum fuerit & antiquiſſimum, & frequentiſſimum, & omnibus Germaniæ populis etiam in vaſtum ſeptentrionem ſe porrigentibus uſitatiſſimum, *Alciat. lib. 2. parerg. c. ult. & conſil. 132. Bodin. de Rep. lib. 5. c. 1. Gilman. tom. 2. ſupplic. Camer. p. 1. vol. 15. n. 9. Thom. Smith. de Rep. Anglor. lib. 2. c.*

6. & 8. Saxo Gramm. lib. 14. hist. Danica. ex Historia quædam præmittamus, ut tantò rectiùs de eo fieri iudicium possit. Primò quidem certum est, in Codice Legum Antiquarum Lindembrogiano plurimas extare Leges, quibus hic probandi purgandiquè mòdus confirmatur. Sufficiat hic unam proposuisse ex c. 44. legg. Alemann. *Si quis liber libero crimen aliquod mortale imposuerit, & ad Regem vel ducem eum accusaverit, & inde probata res non est, nisi quod ipse dicit: liceat illi alii, cui crimen imposuit, cum traeta spatha se idoneare contra illum alium.* Idem legere passim sancitum licet in legibus Salicis, Bajoariis, Francicis, Ripuariis, Friis & Langobardicis. Videatur Friderici Barbarossæ cognominati constitutio de pace tenenda 2. Feud. tit. 27. ubi hujus moris vestigia à Longobardis in Italiam oblata videre licet. Vix verò rectiùs quisquam hoc Duellum narrabit Christophoro Lehmanno, quo nemo rerum Germanicarum facile fuit peritior. Ita igitur ille lib. 2. Chron. Spir. c. 30. *Wer seine Unschuld mit Zeugen nicht erweisen können/oder wollen/der hat noch diesen Weg vor sich gehabt / daß er gegen dem Kläger durch einen öffentlichen Kampff seine Unschuld außsündig machen können.* Deinde allegat sequentia ex Stumpfii Historiæ Helveticæ lib. 3. c. 92. *Es haben die alten Francken auch nach Bekehrung zum Christlichen Glauben die Heydnische unmenschliche Art in Übung gehabt/daß sie umb geringe Ursach willen/und fast in j. der Sache sich zum Kampff umb Leib und Leben erbotten / und hiemit die Unschuld und Gerechtigkeit an Tag bringen wollen / gleich als hätte der Stärck. & recht / und der Schwächer unrecht.* Post hæc ita pergit: *In Alemannien hat es auch den Proceß gehabt/ wenn Partheyen umb Acker und andern Feldbau streitig worden/ und über eins oder des andern Befügnuß und Recht / am Beweis Mängel fürgefallen / ist der Grabe und Gericht des Orts sambt den Partheyen an den streitigen Ort ggangen / und nach dem sie den Augenschein wol eingennommen / hat ein jeder Theil von dem Ort/da er berechtigt zu seyn vermeynt/ ein Hand voll*

voll Grund aufgegraben und dem Graben zugestellt / derselbe hats in ein Tuch verwahrt und versiegelt / und einem andern bis zu nechstem Gerichts Tag zu behalten geben. Wann man denn das Gericht besessen / haben die Partheyen sich eingestellt / und angelobt / daß ein jeder seine Gerechtigkeit an dem streitigen Ort mit dem Schwert gegen seinen Gegentheil wolle aufsechten. Wan sie nun sich dazu / wie bräuchlich / mit einem Schild und Schwert außgerüst / hat manden verwahrten Grund auffm Blaz in die mitte gelegt / welchen die Kämpffer jeden mit seinem Schwert zuffordert berührt / und daneben Gott angeruffen / daß er dem / der die Gerechtigkeit für sich hätte / den Sieg wolle geben. Welcher den Kämpffer erhalten / dem hat mandas Gut zugesprochen / der ander Theil und sein Beystand haben den Unfug mit Seide gebüßet und abgetragen.

XXX. Atque hujus generis duellis nihil priscis Germanis fuit frequentius, ut non dubitet Stumphius d.l. sequentibus uti verbis: Diesen Brauch / also versprochene Kämpff zu thun / haben die Francken in solcher Übung gehabt / daß sie bey nahe in alle eine jede Sache sich zum Kämpffer erbotten. Creditumque vulgò fuit, vel omnino non, vel certè neque melius neque liquidius de veritate aut causæ justitia constare, quam per Duellum hujusmodi posse: cujus cum multa in veteribus monumentis exempla exstent, unum ex Frossardi lib. 3. hist. hic commemorabo. Evenit, inquit, in Gallis, ut quidam genere nobilis è familia Comitum Alençonii per vim stupraret alterius cujusdam nobilis viri, peregre profecti, uxorem, quæ simul atque maritus revertisset, lacrymis oppleta, commemorare vim sibi factam: ille crimen deferre ad Alençonium: alter negare factum pertinaciter. In quem cum esset aliquantò propensior etiam is, apud quem fuit instituta accusatio; qui injuriam passus erat, ad senatum Parisiensem appellabat. Per annum & eo plus agitata causa, cum & uxor intentare crimen, & ille constanter negare; statutum est: ut Monomachiâ litem finirent. Certo die, quem aut ipsi delegerant, aut arbitri prescripserant, congressi sunt, equites

equites primū, deinde pedites. Non hic cæca fortuna (quæ solet alio-  
 qui in ejusmodi rebus dominari) sed æquitas potius & virtus exercere  
 suas vires. Nam qui suæ conjugis pudicitiam vitæ suæ cariorem ha-  
 buit, & in ea propugnanda capitis periculum non reformidavit, nec a-  
 to adversario, palam faciebat omnibus, vindicem esse Deum, qui sce-  
 lerum impunitatem non ferat. Interemptum illum, carnifex pertra-  
 ctum ad patibulum postea suspendit: quem si vincere contigisset, jam  
 ex decreto Senatus illa quidem propterea, quod falsò credit a suis ac-  
 cusasse, flammis objecta: maritus autem eo, quo adversarius, ignomi-  
 nia genere post mortem etiam adfectus fuisse. Victorem eximius lau-  
 dibus efferre omnis nobilium turba & produisse in eo virtutem. Quin  
 & Gallia Rex, honestissima quâdam animi inclinatione, minime  
 permittens, egregiè factis honorem suum abesse, præmiaq; & præsentia  
 illum munere non contemnendo, & certis deinde proventibus, quoad  
 viveret, locupletavit auxitq;. Judicat scilicet de hoc facto pro se-  
 culi more Frøffardus.

XXXI. Non solum autem moris fuit, ut actor & reus  
 hujusmodi duello colliderentur, sed sæpe etiam testes commis-  
 si fuerunt, uti idem testatur Lehmannus d. l. Verba ejus sunt:  
 In der Verhör / und wenn die Zeugen ihr Rundschaft g. sagt /  
 haben sie ihr Schwert beyhm Knopff in Händen gehalten / und  
 damit zu verstehen geben / daß sie mit dem Schwert die Wahrheit  
 die sie außgesagt / wolten verfechten / inmassen dann geschehen  
 wenn die Zeugen die der Kläger und Beklagte geführt / nicht zu-  
 sammen gestimbt / und kein Theil dem andern recht geben wol-  
 len / das alsdann ein jeder Theil einen außgeschossen / die auß frey-  
 em Feld mit Brügeln über der Wahrheit gekämpfft / und haben  
 die Kämpffer kein ander Rüstung dann ein Schild gehabt / wel-  
 cher unter den beyden überwunden worden / den hat man / wie  
 auch allen seinen Beystand / für meynedig und falsche Zeugen  
 gehalten / und ihme hierumb die rechte Hand abgehauen / die ü-  
 brige seiner Seiten haben ihre Hände mit Geld müssen lösen / da-  
 von zwey Theil dem Gegentheil / und der dritte zum Frevel dem  
 Hilco heimgesallen.

XXXII.



XXXII. Et quod mirere, non solum dubia quaestiones Facti, sed & Juris duellis istis decisae fuerunt. Ejus rei insigne suggerit exemplum idem Lehmannus *lib. 5. Ch. Spir. c. 4.* Umb diese Zeit (Otto Limperante) ist im Reich in Erbschaft-Sachen hin und wieder Streitigkeit in solchem Fall entstanden. Wenn ein Vater Erben gehabt / die sich verheyraht / und in der Ehe Kinder erzeugt / deren Vater bey Leben des Alt-Vaters todes verfahren / ob die Enckel den Alt-Vater beneben ihren Bettern oder Vaters Brüdern sollen erben. Der mehrentheil hats dafür gehalten / daß die Enckel an ihres Altvaters Nahrung kein Theil haben / sondern die Söhne allein / so noch vorhanden / der Erbschaft fähig seyn. Dieser Irrung und Zweytracht / daher viel Klag und Blutvergießen erfolget / mit rechtmäßigen Entschiedt abzuheiffen / hat Kaysers Otto ein allgemeine Reichsversammlung ins Dorff Strela lassen verkündigen / (isto enim avo etiam sub dio, vel tentoriis, comitia celebrabantur) und daselbst des Reichs Ausschusz und Schieds-Männern über angeregte Frage sich zu berathschlagen / und was sie billich befunden / in gemeiner Versammlung zu eröffnen befohlen. Nach gehabtem reiffen Rath haben die Schieds-Männer dem Kaysers und Ständen ihren Entschiedt und Ausschlag fürgetragen / und dahin gestellt / daß die Kindes-Kinder ihren Eltern gleich / und an derselben Statt eines Stammes und Namens mit ihren Bettern seyn / und derhalben der Erbschaft ihres Altvaters / nach dem Stamm von Rechtswegen fehic. Mit diesem Ausspruch hat Kaysers Otto nicht gesättiget seyn wollen / sondern damit niemand zu zweiffeln / ob berührter Entschied das gründliche Recht sey / etliche tapffere Ritter erwehlet / die durch öffentlichen Kampf sollen bestreiten / ob von den Schieds-Männern recht oder unrecht in angeregter Frag gesprochen. Als die Fürsten und Ständ des Kaysers Fürschlag bewilliget / und die gewehlte Ritter zu beyden Theilen gegen einander zum Streit und Kampff kommen / hat der Theil obgesieget / welcher der schiedlichen Richter

Ausspruch verfochten. Darauf der Kaiser sambt Fürsten und  
Ständen derselben / als ein Befehl bestätigt / und im ganzen  
Reich zu halten befohlen. Eandem historiam paulò aliter re-  
citatur Stumphius *d.l.* Atque hæc Duella veteribus venerunt no-  
mine Kampff / & Kampff-Recht: de quibus Wehnerus *tit. 4.*  
*part. 5. veter. ordinat. Rotwilensis.* Et Campio vel illa decertatio,  
vel ipse decertans dici solebat: unde Cimbrorum nomen non  
absurdè deducit Reinerus Reineccius *lib. 3. synt agm. hist. Gryphi-*  
*an. de Weichbild. c. 42. n. 10. seq.*

XXXIII. Etsi verò hæc Duella pervulgati usus olim fue-  
rint, & quoque Goldastus *Tom. 1. Const. Imp.* testis sit, daß das  
Kampffrecht noch Anno 1450. im Hofgericht zu Rohtweil ge-  
richtlich erkandt sey; est tamen reverà impium institutum, &  
cum primis à veterum superstitione ortum. Nam in ambiguis  
causis, maximè criminibus, inopiam probationum supplere se  
posse putabant iudicio vel divino, vel humano. Divino, per  
aquam frigidam aut calidam, nec non per ferrum candens, Hu-  
mano, per Duellum; ut tamen etiam hoc facinus humanum  
occulto Dei iudicio dirigi crederent. Cæterum Purgationem  
per aquam frigidam videtur Diabolus commentus esse ad imi-  
tationem poculi Zelotypiæ, de quo lex existat, *Num. 5. v. 11. seqq.*  
ad quem textum Grotius notatu digna alia consignavit. Sed  
cùm hæc Dei sanctio planè fuerit miraculosa, & ut viri docti  
putant, ipsa quoq; propter *σκληροκαρδία* Judæis lata, *Zep-*  
*per. de LL. Mosaic. l. 4. c. 18.* ad alias ancipites causas sanè illa absq;  
speciali Dei mandato abuti nefas fuerit, *c. Mennam. 7. c. consului-*  
*sti. 20. caus. 2. qu. 5.* Ut adeò similis prava consuetudo, utcun-  
que inveterata, meritò sit penitus abolenda (præprimis ubi  
tam liquidò de Christiana disciplina constat) qua magia suspec-  
ti decussatim constringuntur & in aquam projiciuntur, hoc e-  
ventu, ut si mergantur, innocentes; sin innatent aquis, criminis  
convicti rei iudicentur. Tantùm enim abest, ut Iudices hu-  
jusmodi probandi morem decernere possint, ut nec vel accusa-  
torum

torum importunitate nec suspectorum reorū spontanea sollicitatione hanc ad rem adduci vel commoveri debeant. *Quod enim non ratione introductum, sed errore primum, deinde consuetudine obtentum est, in aliis similibus non obtinet. l. 39. ff. de legib.* Merito itaque passim ille mos ceu detestabilis exolevit, & ubique antiquari debebat: ceu post alios eruditè demonstravit *Vir Consultis. Dn. D. Mauritius, Collega & Amicus noster honoratissimus*, cū nostrum Collegium hac de re fuisset consultum. De aliis strigum probationibus per crucem, nec non per pondera & lancem *vid. Hotom. c. 44. disput. Feud.* solebant enim sagæ olim etiam lanci appendi, quam si ultra certum pondus, fortè 14. vel 15 librarum non deprimerent, venificii rei habebantur.

XXXIV. Par penè ratio & origo fuisse videtur probationis per aquam ferventem, vel ferrum candens: qua reus in aquā ferventem manum immittebat, aut ferrum ignitum manu illæsa ex uno loco in alium ferebat, in probationem innocentiae suæ. Cujus memorabile exemplum de Othonis III. Imp. conjugis verbis Caroli Sigonii recitabo *ex lib. 7. de Regn. Ital. p. m. 183.* *Maria Augusta Comitum Mutinensem in amorem sui pellicere conata, postquam libidini suæ reluctari vidit, ira furens se ab illo de stupro tentatam apud Othonem insimulavit. Ejus rei admonitus Comes totam, ut erat, conjugis suæ, mulieri prudentissimæ, patefecit: se citius milles moriturum, quàm tantum Imperatoris dedecus palam facturum: proinde ipsam precibus omnibus obtestari, ut fortis atque imperterrito animo apud eum mortui innocentiam sui purgaret. Neque ita multò post Comes irati & creduli Imperatoris judicio condemnatus poenas capite dedit. Conventu inde populi ad Roncalias instituto, quo die jus viduis dicebatur, mulier processit, atque ex lege Imperatorem ipsum ad supplicium, quod maritum suum injustè necasset, postulavit. Quæ voce audita mirabundus Otho, At tu, quonam pacto, inquit, viri tui, quam jactas innocentiam comprobabis? Cui illa, Candenti lamina, inquit. Atque mox inspectantibus omnibus ferrum ignitum jussu Othonis allatum sine ulla offensione prebendit. Eare Otho con-*

iusu, se quidem pœna dignum esse dicere, verum ad eam subeundam spatium postulare. Tum mulier tribus vadimonis dilatis, Atqui, inquit, ego supplicio regina contenta sum, cuius nefaria calumnia maritus est meus oppressus. Orbo muliere collaudata reginam igne cremari iussit, mulierem verò propter dilata sibi vadimonia quatuor in Etruria castris donavit. Hujus iudicii Gothifredus (Viterbiensis puto) est autor. Fides hujus narrationis sit penes autorem. At jus talium probationum est nullum. Etsi enim etiam in Daniele exemplum commemoretur trium virorum, qui in ardentem fornacem coniecti illæsi manserunt; sunt tamen hæc miracula, quæ divina providentia dispensantur, a deoq; humano arbitrio, & audaci arrogantia, ad consequentias trahenda non sunt, neque Deo absque ejus mandato obtrudi debent media, quibus is ad probandam innocentiam nostram occultam iudicii sui vim communit. Gronew. de LL. abrog. ad lib. 2. Feud. tit. 27. c. Mennam. 7. c. consulisti. 20. caus. 2. qu. 5. c. ult. X de purg. vulg. c. sententiam. 9. X. ne cler. vel monach. Fulv. Pocian. de probat. l. 2. c. 2.

XXXV. Neque justior his modus est probandi innocentiam per Duellum, quin potius omni bonæ rationi & justitiæ contrarium ejus fuisse usum non solum affatim videre est ex allegatis ex Jure Can. sensibus, Phil. Camer. Medit. Histor. cent. 2. c. 18. & 19. Dambond. prax. crim. c. 42. seq. Greg. Tholos. synt. Jur. l. 48. c. 15. & 16. Bodin. de Rep. lib. 4. c. ult. Arnif. de Repub. l. 2. c. 5. Ant. Matth. de Crim. l. 48. tit. 15. c. 6. Révet. ad decal. qu. 38. Ames. de Casib. conscient. l. 5. c. 32. totq; aliis nostratium Theologorum scriptis, sed idem quoq; sequentibus argumentis solidè evincam. Quidquid est species Belli, id ab ordine & natura iudicii abhorret; Atqui tale Duellum, de quo diximus, est species belli, E. tale Duellum ab ordine & natura iudicii abhorret. Propositio, nisi me omnia fallunt, est liquidissimæ veritatis; Bellum enim & iudicium sibi mutuò contrariantur: & alterum ubi locum habet, ibi alterum cessat. Ut non satis mirari queam illorum scriptorum, qui de Duellis scripserunt

runt (sunt verò propemodum innumeri) rationem, qua Duella more Processus Judiciarii ferè informant; & pessimo facinori hinc colores, & nescio quæ pigmenta atq; incrustationes quarunt. *Duellum*, inquit, *Bonav. Ganer. disp. de Duello th. 43. ad instar judicii contentiosum redactum est*; cum antè jam agnovisset, quæ de Duellis vulgò differantur, magis Politicè, quàm Christianè dici. Imò neque politicè neque Christianè (liceat barbarè de re barbara cum barbaris loqui) ullo modo defendi possint. Assumptionem quod attinet, nemo, credo, inficiabitur, tale Duellum fuisse speciem Belli. Aut si bellum non fuit, actus Judicialis fortean fuerit: id quod est absurdum, etiamsi à Judice aliquando sit litigantibus decretum aut imperatum, ceu mox demonstrabitur. Quippe in ambiguis causis veritas armis explorari non debet, sed legibus judicandum est, & deficientibus probationibus, reus aut absolvendus est. *l. 4. C. de edend. aut saltem illi deferendum est purgationis juramentum, Gronew. d. l. aut judicale, si actor nihil probaverit, quam communiorem opinionem esse ait Brunnem. ad d. l. 4. aut si actor semiplenè probaverit, in supplementum juret. l. 3. C. de reb. cred. l. 31. ff. de jurejur.* Quod verò *Gronew. d. l.* tradit, Juramenti purgatorii nullum esse usum in criminibus, in Belgio fortè moris, non item apud nos est. *Carpz. prax. crim. p. 2. qu. 95. n. 74. 75. & p. 3. qu. 116. n. 60. seq. Brunnem. de Proc. Inquis. c. 9. n. 6.* Et adhibebantur olim septem compurgatores, qui de innocentia rei credulitatis juramentum præstabant. *c. quotiens. 5. X. de purgat. canon.* Quod tamen ipsum adhuc in crimine fractæ pacis eluendo requiritur *Gail. lib. 2. de Pac. pub. c. 7. n. 12.* Atque hinc est illa distinctio Purgationis Canonica, quæ fit per juramentum, & Vulgaris, cujus exempla supra proposui, & quò referenda sunt hæc, de quibus jam loquimur *Duella. r. 1. X. de purg. canon. & vulg.*

XXXVI. Talia ergo Duella à Judicibus non potuisse jure decerni aut saltem permitti, ostendo porrò conclusione præcedentis argumenti usus, quæ jam principii loco erit. Quidquid

ab ordine & natura Judicii abhorret, idquè evertit, illud à Judice non potest permitti, multò minus imperari: Atqui Duellum, de quo jam differuimus, ab ordine & natura Judicii abhorret, E. tale Duellum à Judice non potest permitti, multò minus imperari. Majorem nemo in dubium vocabit, cui notum est, quodnam sit officium Judicis. Minorem suprà jam declaravi: quibus tamen mantissam aliquam adjiciam. Quicumque actus justitiam causæ per se detegendi minimè idoneus est, sed æquè innocentem damnare, quàm nocentem absolvere potis est, ille ab ordine & natura Judicii abhorret: Atqui Duellum, de quo quæstio est, est talis actus, E. illud Duellum ab ordine & natura Judicii abhorret. Hinc cum duo, quorum unus alterum furti accusabat, probationis causa inter sepugnarent, justior cecidit & furtiva res postea inventa fuit apud alium: ut refertur *in c. significantib. 2. X. de purgat. vulg.* Imò ipsi Veteres nonnulli hoc probè viderunt. Cum enim pessimum illum morem secum in Italiam pertraxissent Langobardi, ibiq; illum frequentassent, Rex illorum Rotharis ingenuè fassus hunc in modum legitur *lib. 1. LL. Langobard. tit. 9. c. 23. Cod. Lindenbrog. Quia incertis sumus de judicio Dei, & multos audi vimus per pugnam sine justa causa suam causam perdere. Sed propter antiquam consuetudinem gentis nostræ legem impiam vetare non possumus.* Fridericus quoque II. Imp. *Constit. Sicul. lib. 2. tit. 31.* ait, *Ridendos potius quàm corrigendos, qui naturalem candentis ferri calorem tepescere, imò quod stultius, frigescere, nulla justa causa superveniente, confidant:* Et, cum etiam Duellum, de quo agimus, damnasset, ejus rei hanc adfert causam *tit. seq. 32. Quod non tam vera probatio, quàm divinatio quædam dici possit, qua natura non consonans à jure communi deviet, æquitatis rationibus non consentiat. Vix enim aut nunquam duos pugiles inveniri sic aequales, ut vel in totum non sit alter altero fortior, vel in aliqua parte sui majore vigore & potiori virtute, vel saltem ingenii alter alterum non excedat.*

XXXVII. Sed & aliæ sunt rationes, quibus ab ejusmodi Duellis

Duellis cum Judices tum dimicantes debuissent deterreri. Ex multis has duas modo adferam. Quicumque actus directò adversatur Juri divino & Naturæ, illum nec ultro quisquam suscipere, nec Judices aut Magistratus licitè in illum possunt consentire: Atqui Duellum, de quo hactenus actum est, talis est actus, E. hoc duellum nec ultro suscipere quisquam, nec in illud Judices aut Magistratus licitè consentire possunt. Quod attinet Minorem, nota sunt illa præcepta, **NON OCCIDES**: Quicumque sanguinem humanum effuderit, ejus sanguis vicissim effundetur: Nemo injuria est lædendus. Quodcumque enim Judicii autoritas vim suam exercere potest & debet, ad bella & cædes humanas nullo modo viam Leges hæc aperiunt, sed præcludunt. Altera ratio hæc est: Quocumque actu Deus tentatur, is sua natura ac simpliciter est illicitus: Duellum hoc, de quo impræsentiarum disputamus, est talis actus. E. Duellum hoc sua natura ac simpliciter est illicitum. Minorem confirmat, c. *monomachiam*. 22. *Caus. 2. qu. 3. & c. dilecti X. de purgat. vulgari. Add. l. un. C. de gladiatorib. atq. ad illam Brunnemannum. Perez. ad d. l. n. 5.* Quàm inanis & vana hæc sit veritatis explorandæ ratio, vel unico liceat declarare memorabili exemplo, quod Alphonfi Castiliæ Regis imperio contigisse refert Scriptor quidam Gallus in libro, qui inscribitur, *Les diverses leçons &c. Quidam Rupas de Vidima, nobilitate & rebus bello gestis clarus alium nobilem Rodigem de Avila apud Regem prodicionis falso insimulaverat, quod usurparet insignia Lusitania, cum esset vasallus Castiliæ Regis, idq. se armorum concursu confirmaturum jactaverat. Aberat eo tempore Rodiges de Avila, qui cum calumniam hanc rescivisset, Regi pari fide rescripsit, nihil opus esse purgatione, quod Rupas in ipsum conspirasset Regem, & de eo è medio tollendo consilia iniisset: idq. duello se probaturum adfirmavit. Rex animi pendens copiam tandem iis fecit Duelli, quò de tantis criminibus liquida testaretur veritas. Concurrent illi magno furore & impetu, totòq. decertant die aquis viribus, fortuna dubia, donec nox conflictum diremit. Rediit è altero die ad arma & certamen,*

tamen, paribusque animis & exitu gestum est, in neutram inclinante partem fortuna. Congressit etiam tertio die, eo animo & conatu, ut tandem alterutro succumbente explicaretur veritas. Cum itaque diu & pertinacissimè contendissent, cum alii spectatores tum Rex in admirationem & misericordiam rapti sunt, virosque tam acres se mutuo conficere debere iniquum putaverunt. Rex itaque autoritate sua interposita finem duello imposuit, & utrumque ad se arcessitum criminis insimulati absolvit. En Duelli utrinque à calumniâ conflati eventū!

XXXVIII. Quia igitur hujusmodi Duella legitima Judiciorum subsidia veritatisque explorandæ aut confirmandæ remedia non sunt, sed omni benè constituto juri prorsus repugnant, & Judiciorum ordinem evertunt & pessumdant: ideo malè dicuntur Judicialia; cum non spectandum sit, quid à quibusdam Judicibus permissum, aut quid in malè constitutis quibusdam Judiciis factum & decretum sit, quàm quid jure fieri ac decerni debuerit. Pro more igitur ævi hoc est, malè hactenus judicat Witichindus, Othonis I decretum, de quò supra egimus, his laudans verbis: *Rex meliori usus consilio, voluit viros nobiles & senes populi honestè tractari, & magis rem inter gladiatores discerni jussit. Vicit igitur pars, qui filios filiorum computabant inter filios, & firmatum est, ut equaliter cum patruis hereditatem dividerent pacto sempiterno.* Cum igitur constet, quod non solum veteres Germani, sed & Galli, Hispani, Angli aliiq; populi crebrò his Duellis fuerint usi, superstitiosa opinione persuasi, non sine numine & arbitrio divino hac ratione vel innocentiam, vel veritatem ac justitiam causæ explorari posse; ideo hoc Duellorum genus superstitiosum appellabimus. Atq; ideo hanc Purgationem Vulgarem Jure Canonico dici, & Canonice, quæ fit per juramentum, contrà distingui nonnulli putant, non tantum, quod vulgati fuerit usus Purgatio per duellum, sed quod vulgarium & superstitiosorum hominum hoc fuerit inventum, adeoq; nullam probationis vim habeant vel à ratione vel à divina autoritate aut voluntate nobis patefacta, sed à super-



à superstitiosi vulgi præcipiti iudicio. Gronew. l. supr. cit.

XXXIX. Quia verò vitia eo gradu, quo oriuntur, non solent subsistere, sed aliac crescere tempore ac consuetudine; ita in Germania quidem tandem invaluere mores, ut superioribus seculis iudiciorum autoritas propè omnis conciderit. Cum enim Regia autoritas variis artibus esset pessumdata, Duces Comitesq; provincias hereditario jam jure administrarent, arces & opida munirent, viribus suis militeq; subnixi, jure cum aliis æquo uti noluerunt. Et licet controversiæ Principum & Nobilium in iudicium essent deductæ, iudicatum tamen vix quisquam solvebat, nisi vi armata compulsus: vel etiam planè iudiciis repudiatis bello & armis lites suas dirimebant. Superstitio igitur Duellorum in iudiciis olim usitatorum tandem peperit barbariem, videlicet ut quisque sibi jus diceret vindiciasque præstaret armis & Bello, quod Germanica appellatione insigniri solet Faust oder Kolbenrecht. Audiri de hoc differens meretur Casper à Lerch in *Discurs. de Ordine Equestri German.* Bey verschiedenen civilibus motionibus, Empfindlichkeiten/und in mangel schleunigen handhabigen Rechtens / hat sich im Reich begeben / daß vor alters Equestris Ordo Germanicus vielfältig ins gemein/und insonderheit inner-und eusserlich sich juris belli und Faustrechts wieder die so ihne betrangt/allein/und durch helffers Hülff (als weil es pro juris sui conservatione vornehmlich bey den alten Teutschen herkommen/und Segreiff-Nahrung / sambt dem alten Kampffrecht fast nicht ungleich war) gebrauchet. Welches dann auch ander Ständ unter sich/und gegen dem andern geübt/und dieser von jenem gleichsam erlernet undergriffen hat. Bey welcher Zeiten constitution, aus vielen Geschichten und Schrifften verspüret wird / ob wol die mächtige und höhere/nicht eben mit Kriegsrüstung und Faustrecht publicè ihr beginnen und gesuch / sondern mit anhangender menge Volcks/oder andern zwangsvortheilen / offinals durchgedrungen/ und hiedurch dem Ringern sein Recht und Haab

de facto abgendsiget haben: Dahero doch zu gegenrettung auff  
 Faustrechts Mittel der Schwächere getrieben / und also man-  
 cherley und viele Empörungen erweckt worden / welchem man  
 lange Zeit vergeblich durch viel Land-Frieden/ Reichs-Hoff- und  
 Cammer- Gericht's erectiones zu steuren unterstanden hat.  
 Ebenmäßig so oft eine Partey gegen die andere/ sich vor Chur-  
 Fürsten/Graven und Ritter-schafft Ausstrag rechtens erboten  
 hat / wann das Recht nicht gedenen oder erörtert werden kön-  
 nen/ so dann auch die execution dem ergangenen Spruch ge-  
 gemäß nicht erfolgt ist/ noch geschehen können / hat man sich des  
 Faust-Recht's Ausstrag zu behelffen nichts hindern lassen. De-  
 rowegen der Reichs-Adel pro generositate animi und aus  
 Schmerzen seines sichtbarlichen Verlusts/ Schaden oder For-  
 theils/seine alte Kriegerische Conversationsjura des obgesagten  
 Faust-Rechts (welches jure bellico primavo, Teutonicisque  
 militiae moribus assiduis, in depulsionem aut vindicationem  
 alienae violentiae, aut personalis realisque injuriae in schwang  
 war) schwerlich und viel lange Jahr nicht deseriren/ weniger zu  
 unendbaren Proces mehr Geld und Mühe/ als Er oder Seinige  
 Nutzen erleben möchten/ sich gedulden/ weder untergeben kön-  
 nen. Wie dann daraus entspringen/und in vielen judicial pro-  
 tocollis befindlich / daß durch höherer Stände/ gegen manchem  
 vom Adel/rechtlicher/auch poenal- und Achtsmittel fortführ- und  
 verfolgung halber / nach und nach der unterdruckt- oder verarm-  
 te Adel/entzwischen an Person/ Schlössern/ Haus und Gütern/  
 theils geringert/theils vertilget worden ist/ &c.

XL. Quanta rerum omnium perturbatio hinc non po-  
 tuerit non sequi, perpetuisq; motibus concuti Imperium o-  
 portuerit, nemo non videt. Cæterum Duella illa probationi  
 aut purgationi quæ olim inserviebant, in usu apud nos esse per  
 Dei gratiam desierunt. *Vid. Dd. supra th. 35. laudatos.* Illa quoque  
*Χειροδίνη* saluberrimis constitutionibus fuit sufflaminata &  
 coërcita. Benè cumprimis de Germania meritis est Maximili-  
 lianus

lianus I. qui in humanis istis moribus primò quidem Regimentum, deinde Camerae Spirensis Judicium, deniq; & ipse & successores ejus gloriosissimi Pacis publicae leges ac sanctiones pragmaticas opposuerunt. Hinc in Recessu Imperii Spirensi de Anno 1529, rectè dicitur, daß das Keyserliche Regiment und Cammer Gericht darumb fürgenommen / Fried und Recht im Heiligen Reich zu erhalten. §. Weiters als hie bevor.

XLI. Ista rerum perturbatio, robur cum primis nacta tempore interregnum, occasionem etiam videtur dedisse Austregis, quæ dicuntur. Cum enim nonnullis Principibus violentia ævi illius displicere cœpisset, aut mutuo metu derrerentur, nonnunquam ancipitem belli exitum vererentur, aut nervis belli gerendi destituerentur, cœperunt sibi arbitraria Judicia constituere, Regum autoritate cum aliis rebus tum Pontificum importunissima ambitione & fastu proculcata, adeoque eorum sententia minimè expectata: quæ hodièq; *Austräge* / vel *gewillführte Austräge* appellantur. Quinimo cum rara essent eo tempore Comitua, nulla Judicia publica, dignitas Cæsarea vel nulla, vel inter competitores ambigua, etiam Civitates multæ in similia judicia & pactiones consenserunt. Etsi enim meliori modo Austregas constituerit Maximilianus Imp. non tamen huic autori illæ sunt tribuendæ; ceu à nonnullis perperam fit. Nam in Constitutione Camerali d. Anno 1495. ita legitur: Welche sonderliche gewillführte Rechtliche Austräge gegen einander haben / die sollen sich laut derselben gegen einander gebrauchen.

XLII. Imprimis verò, uti dictum est, Regimenti & Camerae Spirensis constitutione illa morum atrocitas & *Χειροδινη* fuit repressa. Cæterum cum inveteratum malum, in tanta Reip. impotentia & discordia, ex voto & quidem uno momento non potuerit extirpari, multiq; Principum vires suas semper altero oculo respicerent, per sanctiones illas de Pace publica, toties repetitas, bellicis motionibus obviam itum est. Cumq; antehac

Reges ferè militaris Ordinis hominibus & illiteratis essent stipati, à Maximiliano autem ejusque successoribus Juris Romani & Pontificii Doctores consiliis & judiciis admoti fuissent, ferrei seculi asperitas horum humanitate & æquitate non parùm mitigata esse videtur. Utinam quæ tam salutaris prudentiæ; consilio constituta sunt, morigero animo faciliq; ab omnibus obsequio excipiantur & præstentur, nec partim vi aperta, partim cuniculis ductis his Imperii fulcris ruina quæratur. Atque hæc de Duellis superstitiosis.

XLIII. Superest tertium Duellorum genus, omnium & olim & hodiè usitatissimum, iniquissimum ac perniciosissimū, quo sprete Judiciorum & magistratus autoritate multi suæ iræ, ambitioni, libidini & adfectibus frena laxant, & plerumq; pro honore adferendo, aliave injuria vel contumelia qualicumq; depellenda vel eradenda privato ausu ac temeritate furiosè decertant. Doctores, qui de hoc argumento scripserunt, *Extrajudiciale* appellant, distinctum scilicet hoc à *Judiciali* quod vocaret, à nobis *superstitioso* appellato. Ego verò illud *Cyclopicum* nuncupo. Cujus notationis rationem, & ipsius argumenti naturam ac qualitatem expositurus solenniter protestor, me ad nullius hominis, vitæ generis vel ordinis injuriam aut despicientiam quidquam dicturum, sed veritati ac Justitiæ unicè litaturum. Sicuti enim Mathematici numeros & figuras suas à corporibus abstrahunt; ita me ab omni singulari facto animum avocasse, & non nisi *ἐν θέσει*, ut loqui solemus, hoc argumentum versasse, juraq; ei accommodasse profiteor, paratus etiam rectiora monitus mea obelisco configere.

XLIV. Cyclopicam vitam in proverbium abiisse, vulgò cognitum est; ut tamen perquam diverso sensu etiam à doctissimis usurpatur. Erasmus enim *in suis Cbiliad. p. m. 711.* Cyclopicam vitam interpretatur, vitam vehementer efferam ac barbaram, quæ neque legibus neque disciplina civili constet, neque religione deorum gubernatur, Atq; hanc sententiam confir-

mat exemplo Polyphemi, quem sic loquentem inducit Homerus *odyss. 9. v. 273. seqq.*

*Stultus es, ô hospes, quod longè advenisti,  
Qui me deos jubes sive timere, atque observare.  
Non enim Cyclopes Jovem à capra nutritum curant,  
Neque deos beatos, quoniam multò præstantiores sumus.  
Neque ego Jovis inimicitias evitans parcam,  
Neque tibi, neque sociis, si me animus iubeat.*

Homerum imitatus Euripides Cyclopem hoc pacto loquentem facit.

*Atqui, hospes ego fulmen Jovis non horreo,  
Neque me Jovem præstantiorem habeo deum.*

Hadrianus verò Junius in suo Chiliadum Erasmi auctario contendit, Cyclopicam vitam pro beata & nullius rei indiga apud omnes autores usurpari: quem vide in *Chil. Eras. p. m. 105.* Etsi verò autor sit Homerus, singulari terræ felicitate atq; ubertate Cyclopas usos fuisse, plura tamen alia etiam commemorat *Odyss. 9. v. 106. seqq.*

*Cyclopum ad terram superborum ex legum  
Venimus, qui sanè diis freti immortalibus,  
Neque plantant manibus plantam, neque arant.  
Sed hæc infeminata & innarrata omnia proveniunt.  
Triticum, & hordeum, atq; vites, quæ quidem ferunt  
Vinum, ex magnis vocis, & ipsis bonis imber in crementum dat:  
Illis verò neq; conciones Consiliariae sunt, neque jura;  
Sed ipsi celsorum montium inhabitant cacumina,  
In spe iuncis cavis, jus autem dat unusquisque  
Liberis atque uxoribus: neque se invicem curant.*

Mittamus, quæ de fertilitate soli Cyclopum feruntur, & quibus moribus fuerint, videamus. De his ita judicat scholiastes Græcus, Dydimus creditus, Justos fuisse Cyclopus propter Polyphemum: & quod Poëta illos superbos dixerit, ad magnam quod *ἀνεμίστρε* idè refert, ac si propter vitæ innocentiam

& simplicitatem non opus ipsis fuerint leges publicæ; neque enim illos communione civili confociatos vivere, adeoq; nec senatu, nec iudicio aut jure communi uti; sed quemque patrē familias suæ præesse familiæ, eumq; uxoriatus liberis jus dicere nulla habita cura communionis civilis. Et verò in eandem sententiam de illis loqui videtur Aristoteles 10. *Nicom. ult. § 38.* ubi ait publicæ educationis passim nullam haberi curam, sed mare Cyclopū quemque sua tantum familiæ curam gerere. Atque ea propter idē Philosopho, *Polit. 1.* ait, vixisse Cyclopas *σποράδας* familiis & domibus secretos, nulla civitate aut communi civili jure conjunctos. Cum verò suprā ex Homero intellexerimus, Polyphemum etiam reliquos Cyclopas impietatis insimulare, quod Jovem *αἰγίοσχον* non revereantur; Didymus, ut sibi consentanea loqueretur, ait, Polyphemum per calumniam reliquis Cyclopius impietatem impropèrasset. *Ασεβῆς* inquit *ὄν ὁ πολύφημος διαβάλλει καὶ τὰς λοιπὰς*. Putatq; suā sententiā confirmari ipsius Poëtæ auctoritate, quæ *v. 411. d. lib.* illam animi asperitatem in Polyphemo dicit fuisse morbum à Jove immissum & indeclinabilem. Esto ergò ita, uti vult scholiastes, quod Polyphemus tantum omnem bonam mentem egeraverit, numinis divini omnisq; juris contemptor: reliqui verò Cyclopes aliquam juris & disciplinæ in familiis suis rationem habuerint; non absurdè tamen postremum Duellorum genus Cyclopicum à me dictum existimo. Nonnulli enim hujus generis duellatores benè etiam familiæ, liberos & conjugibus præesse videntur, ut tamen communi iudice uti aut civilis vel superioris iudicii auctoritatem atque opem implorare, ejusq; arbitrio ac sententiæ litigia & injurias, quas cura aliis exercent submittere nolint, sed perinde ac si adhuc extra civiles societates & legitimum iudiciorum ordinem viverent, suas injurias manu ferroq; decernere malint. Sunt quoque inter hujus generis Duellatores Polyphemi quidam divini

vini humaniq; juris contemptores, imò Deo & hominibus insultantes, qvi jura negant sibi nata, nihilq; sibi non arrogant armis: qvi pro infamibus habent duella detrectantes mensamq; ea parte, qva tales eum ipsis fortè accumbunt, sterni vetant, aut mappam inde removent: qvorum hæc sunt voces. **G**ott wolle auch seinen Bernhäuter im Himmel haben / eos designantes, qvi metu numinis divini & reverentia legum à duellis abstinēt; **E**s sey besser mit reputation (zeitlich und ewig) sterben/ als mit Schimpff das Leben behalten/ man wolle viel lieber die Zeitung von seinen Ländern hören / das ihnen im duell die Hälse zerbrechen / als das sie jenigen Schimpff leiden/ oder selbigen andergestalt als mit der Faust ausleschen solten; & qvæ sunt ejus generis portenta verborum alia. Sed de notatione horum Duellorum forte plus satis, Rem ipsam videamus.

XLV. Ut ergò tantò evidentius horum duellorum atrocitas Omnibus repræsentetur, primum quidem illos ipsos considerabimus, qvi ejusmodi duella suscipiunt: qvibus cum duo committantur, alter horum Provocans, alter Provocatus dici solet, Provocatio ad hæc duella, si usum videas, videtur esse duplex, Proxima & Remota. Hæc, est contumelia seu injuria illata: Ista, ipsa duelli denuntiatio. A nonnullis is unice habetur Provocans, qvi injuriam, & per hanc, qvandam quasi necessitatem ad duellum provocandi, intulit: à qva sententia non videtur esse alienus Aristoteles, qvi ita scribit *5. Nicom. 8. § 26. seq.* *Quæ propter rectè, quæ per iram sunt, facta non putant de industria. Non enim talium autor & causa est is, qui iratus facit; sed is, qui laceffit atque irritavit. Ob injuria enim speciem animo objectam ira commovetur. add. l. 3. §. 1. ff. de injur.* At si potius id spectes, quid fieri tali casu, aut non fieri, fas sit; injuria acceptus non ad duellum, privatamq; ultionem, sed ad Judicis præsidium confugere debet: per ea qvæ supra tradidimus *h. 12. seqq.* *Neque enim singulis concedendum, quod per Magistratum possit fieri, ne occasio sit majoris tumultus faciendi; inquit J. C. l. 176. ff. de R. L. ubi vide Jac. Gothofre-*

dum, inter alia his utentem verbis: *Idcirco judiciorum vigor, jurisq; publici tutela videtur in medio constituta, ne quisquam sibi ipse permittere valeat ultionem.* Gravis quoque est sanctio Constantini *M. l. 6. C. ad l. Jul. de vi;* qua convictus de evidenti violentiæ crimine capite puniri jubetur, sic ut damnatus à sententia Judicis appellare nequeat, & si fortè homicidia hinc inde commissa fuerint, in illo vindicentur, qui per vim alium expellere voluit. *ad Brunnem, ad d. l. 6. quest. l. 1. C. Theod. eod. ubi vid. Jac. Gothofr. Grot. 1. de I. B. P. c. 3. n. 1.* Si igitur injuria laceffitus, illam duello eluere sat agit, ad ultionis genus per se illicitum, divinæ voluntati atq; ordini planè adversum provocat. *l. 45. §. 4. ad l. Aquil.*

XLVI. Quæri solet, si injuria laceffitus suum adversarium ad duellum provocet, eumq; obruncet, sitne ordinaria L. Corneliæ pœnæ adficiendus, nec ne? Si quidem non nisi animo ulciscendi ad duellū provocaverit, cum Judicis suppeteret copia, nullam fatis idoneam causam video, quæ illum ordinariæ pœnæ eximat: quæ non solum Sereniss. Dux Saxo-Gothanus tam provocatos, quàm provocantes adfici voluit, si alter alterum in duello obruncasset; sed etiam eandem pœnam Imperator & Imperii Ordines in illos sanxerunt. Non equidem nescio, consuetudine & praxi aliud ferè esse receptum: ceu videre est ex *Carpzov. pract. crim. p. 1. qu. 29. n. 75. seqq.* At tota hæc provocationis ratio incidit in omni jure prohibitam vindictam; quippe injuria adfectus legitimis remediis experiri, non sibi, ipsi jus dicere debet. *Bachov. ad Wesenb. ad l. Aquil. n. 4* Nostramq; sententiam etiam disertis verbis confirmat *Habnius ibid.* eamq; adversa rectiorem pronuntiat. Præter alias *Carpzovius* suæ opinionis hanc profert rationē, *d. qu. 29. n. 77. & 88.* quod simpliciter ignoscendū sit ei, qui se voluit ulcisci provocat: quod uti verū est, si legitimo modo ultio quærat, quo omninò pertinet ab illo citata *l. 14. §. 6. ff. de bon. libert.* ita si idem velis simpliciter obtinere, ubi ultio jure omni prohibita suscipitur, non dubito istud principium



cipium simpliciter falsum pronuntiare. Adi, si placet, Frantzki-  
um, qui *d.l. 14.* diligenter explicat *lib. 2. resol. 23. n. 35. seqq.* & etiam  
Carpzovio hac in causa contradicit *n. 51. seqq.* Interim si quis in-  
juria perquam gravi Sit læsus, eaq; ad justam & vehementem  
iram sit concitatus, qua emotæ quasi mentis fuerit factus, ut  
subitò & è vestigio ulciscendi desiderium præcipitaverit, neque  
destinato consilio Judicis opem contempserit, eum ratione ra-  
lis excandescentiæ interdum fortè à pœna ordinaria absolvi  
posse existimo, per ea, quæ leguntur apud *Carpzov. p. 3. pract.  
crim. qu. 147. n. 55. seqq.* Aliàs regulariter Ira delinquentem à pœ-  
na ordinaria non excusat. *Carpz. d.l. n. 45.* Certè in *Const. Carol.  
crim. art. 137.* ultimum supplicium disertè sancitum est in eos,  
qui inconsulto calore & iræ fervore eadem pataverint. Et  
quæ homicidia, formaliter talia, absque iræ impulsu commit-  
tuntur?

XLVII. Quod si accidat, uti sanè fieri aliquando vide-  
mus, ut idem, qui injuria laceffivit alterum, eundem etiam de-  
nunciatione facta provocet ad duellum, hominem certè eum  
oportet esse admodum injustum & malum, ut qui non solùm  
honor aliisve bonis, sed & corpori, vitæ & salutis æternæ insidie-  
tur. Præterea qui ita armis congregiuntur, non semper ira su-  
bitò incalescentes digladiantur, sed plerumq; ex intervallo, &  
deliberato, ut facilè judicis opem invocare sibi liceret. Vera au-  
tem omnino sunt, quæ tradit Cicero *1. Offic. In omni injustitia per-  
multum interest, utrum perturbatione aliqua animi, quæ plerumque  
brevis est, & ad tempus, an consultò & cogitatò fiat injuria. Leviora  
enim sunt ea, quæ repentino aliquo motu accidunt, quàm ea, quæ medi-  
tata & preparata inferuntur.* Grot *lib. 3. de I. B. P. c. 11. n. 4.* Plenior  
etiam est divisio Icti *l. 11. §. ff. de pœn. Delinquitur aut propositò,  
aut impetu, aut casu. Propositò delinquent latrones, qui factionem ha-  
bent. Impetu autem cum per ebrietatem ad manus, aut ad ferrum ve-  
nitur. Casu verò, cum in venando telum in feram missum hominem  
interfecit.* Sicuti igitur ipsa delicta multis modis ac gradibus

differunt, aliaq; aliis graviora vel leviora sunt; ita certissimum est consultò patrata mereri ordinariam eamq; justam pœnam. l. 5. §. ult. ff. de pœn. *Wesemb. parat. h. t. n. 8.*

XLVIII. Porrò si rem videas, uterqve duellator, cùm Provocans tùm Provocatus, plerumqve animũ seu προαίρεσιν habet occidendi: cum primis si præter condictum facinus propositũ etiam arguant tela, quibus utuntur, ad expellendam fortè animam paratissima; adeoq; uterqve saltem hæctenus homicida est. τὸ γὰρ ἥθες ἐν τῇ προαίρεσει τὸ κύριον. 8. *Nicom. 23. §. ult.* Mores enim & actiones hominum cum primis ex illorum proposito seu consilio dijudicantur. Atqve hinc Gellio lib. 7. *Noct. Att. c. 3.* gladiatori composito ad pugnandum pugnae hæc proposita fors esse videtur, aut occidere, si occupaverit, aut occumbere, si cessaverit; ut sanè par voluntas & consilium in duellatoribus non possit non præsumi. Lex utiqve Cornelia nõ minus eum, qui occidendi hominis causa cum telo fuerit, quàm eum, qui occiderit, puniri voluit. l. 16. §. 8. ff. de pœn. Quamquam hodiè conatum sine effectu pœna ordinaria non coerceri debere multi Doctores contendunt, moti cum primis *Const. crim. Carol. art. 178. Jul. Clar. d. §. fin. qu. 92. Brunnem. ad l. 7. C. ad l. Corn. de sicar.* At si ad actum proximum accerserit, ut qui animo occidendi hominem vulneraverit, nunc delictum haberi pro expleto, & eũ perinde puniri, ac si delictum perfecisset, vult *Math. Steph. ad d. art. 178.* Cui hac in re contradicit *Carpzov. p. 1. pract. Crim. qu. 2. n. 54.* qui cum aliis in ea est sententia, *Legibus de conatu loquentibus in toto orbe derogatum esse.* Cœterum etsi conatus delicti in genere ordinaria pœna regulariter non fuerit puniendus; non tamen hinc tutò colligitur, etiam illorum delictorum conatus, in quos à legibus speciatim pœna ordinaria sancita est, mitiori pœna plectendos atq; has etiam leges inter abrogatas privato quorundam ausu reponendas esse: qua de re pluribus contra receptam opinionem disputat *Faber de Conatibus. ult.*

XLIX. At, inquis, multi duellis colliduntur, quibus hic animus non est, ut antagonistas occidant, sed potius ut hoc more defungantur, & necessitati pareant. Cæterum posterius quod attinet, non est illa vera necessitas, siquidem Judicis sit copia. Itaque locum hic habet illud Comici, *Tua voluntate coactus es*. Necessitas enim jus non dat, si sit evitabilis. Malum hic, quidquid vel minimum abit à necessitate, *Grot. lib. 2. de I. B. P. c. 2. n. 10.* sed nonne satis magna vis est tyrannicæ consuetudinis? Est utique; ut tamen hæc tanta nemini videri debeat, ut illicita prorsus exempla vindicandæ injuriæ imitari licitè possit. Præterea etsi animo occidendi non te suscepisse dicas duellum, numquid in actu isto furioso omniq; jure vetito jam occupatus ita poteris modum tenere, ut ne noceas adversario, sed solum tibi prospicias, & ictus elidas? Accedit, quod duellatores sanè vehementer indignum credant sua existimatione, si alteruter alteri significet, sibi non esse animum lædendi. Imò præstaret tali casu planè abstinere ab hoc infausto incepto. Quid ergò præsumet alter de altero ita disposito armatoqve, quàm animum lædendi, & si possit, aut fors ita ferat, occidendi sive propositum, sive occumbendi eventum? Ipsa certè lex, *Non occides*, aliter nec præsumit, nec præsumere potest. *l. 16. §. 8. ff. de pœn. l. 1. ff. ad l. Corn. de sicar. §. 5. Inst. de publ. judic.* Hinc nonnulli Doctores putant, eum, qui alterum gladio adoritur, non equidem ut illum occidat, præter intentionem verò ei vulnus lethale infligat, ex quo mors sequatur, poena ordinaria æquè adficiendum esse, ac si animum occidendi habuerit. *Quorum sententiam, inquit Carpzov. p. 1. pract. crim. qu. 1. n. 28. juri ac veritati consentaneam esse arbitror, eo quod percutiens gladio, animo solum vulnerandi, æquè in dolo est, & quia scit, aut saltem scire debeat, certo & destinato modo vulnus, præsertim gladio vel simili instrumento, ad homicidium perpetrandum apto, dari non posse, in effectu negari nequit, quàm talis habet animum occidendi, ut cujus voluntas fertur in percussione, & in omne id, quod ex percussione dolosa immediatè*

*contingit.* Deinde id ipsum variis rationibus ac testimoniis confirmat: quibus add. Gail. 2. *obs.* 109. n. 3. Brunnem. ad l. 6. C. ad l. Jul. de vi publ.

L. Præter Provocantem & Provocatum solent etiam accedere Duellis his alii, qui vel sint illorum internuntii, vel arbitri, qui de causa, loco, tempore, genere ac conditione armorum constituent, & provideant, ut omnia secundum cyclopicæ consuetudinis leges instruantur, & ad Orci fauces latissimè fores aperiantur. Alciatus illos appellat *Faciales, Pracones, Heraldos & Reges armorum.* Alii non sine insigni impietate illos *Patrinos* appellitant. Vulgò enim Patrini dicuntur, qui de sacro fonte infantes susceperunt, & pro illis stipulationi bonæ conscientiae fidem obstrinxerunt; ut adeò tam benè de provocantibus & provocatis duellorum arbitros mereri malefani isti scriptores putent, quemadmodum compadres vel susceptores de filiis suis spiritualibus; uti in Concilio Moguntino, quod temporibus Caroli M. celebratum est, nominantur. *can.* 47. Imò ne quid furoris sit reliquum, ipsi quandoq; arbitri non minori feritate, quam ipsi duellatores contendunt, quoties scilicet visum fuerit, illustriorem reddere duellorum gloriam. Ejus vesania duo nobis exempla suggerit Thuanus, qui *lib.* 66. ad Annum 1578. de Duello Jacobi Levii & Caroli Balsaci hæc narrat: *Rixa in arcano intercedebat, qua ex causa incertum. Cum verò alter ab altero de injuria sibi, usurpata apud nos inter Nobiles ratione, satisfieri peteret, horum & locum duello condicunt, quo & duos ex amicis, inaudito apud alios more, cæterum vana decoris ostentandi cupiditate, nunc nimis frequenti, secum pugnatuos adducunt. Hi omnes summo silentio in equorum foro Lutetia ad mutuam perniciem vix orto sole certarunt. &c.* Idem Autor de duello Caroli Bironii & Caroli Carancii ista differit *lib.* 85. ad Annum 1586. *Occulta inter rivales similitates alebantur, qua tandem in exitialem eventum exarserunt. Nam Bironus ex levi causa rixa exorta Carancium perfidum sibi ad duellum provocat, & contra legem & rationem duelli, ut duos secum amicos*

amicos adducat, monet, de cetero armorum delectum ei defert. Id secretò actum, quod pravo apud nos more receptum, ne quis conscius destinato duello, re ad Principem renuntiata impedimentum adferat: & quisque ad decus pertinere existimat, ut res evulgetur. Congressu facto Bironus cum suis victor evasit, & Carancium cum sociis interfecit humi stratos reliquit. Atque hic præter alia, quæso, adverte novas Duellorum leges, vel potius Diaboli fraudes, ut Judicem suum non solum non adeant, qui inter se diffident, sed etiam omnibus modis eum fallant, atque hujus astutiæ singulare decus existiment, ut liberius occidere vel occumbere sibi liceat.

LI. De his quid sit sentiendum, docere nos poterit Androcides ex lege Attica: τὸν βελεύσαντα ἐν τῷ αὐτῷ ἐνέχεσθαι καὶ τὸν τῇ χειρὶ ἐργασάμενον, Qui consilium dedit, eum non minus pœna teneri, quàm qui manu rem effecerit. Et Chrysostronus, ad Romanos circa finem: καὶ γὰρ τῆς πλημμελεῖν ὁ τὴν ἀμαρτίαν ἐπαινῶν χαλεπώτερος, Pejor peccante, qui peccatum laudat. Imò tantoperè adsueta duellis gens Langobardica hanc olim tulit legem; Qui facinosum adstans hortatur, proficiente habetur. Quid multa? compendio dicam. Qui factum vitiosum jubent, qui consensum requisitum adhibent, qui adjuvant, qui receptum præstant, aliove modo in ipso crimine participant: qui consilium dant, laudant, adstantur, qui, cum vetare teneantur, non vetant, aut cum opem ferre injuriam patienti teneantur, non ferunt, qui non dissuadent, cum dissuadere debeant, qui factum retinent, quod notum facere tenebantur, hi omnes delicti se participes faciunt, & puniri possunt. Grotius lib. 2. de I. B. P. c. 21. n. 1. Addatur Thomas 2. 2. qu. 62. art. 7. ubi etiam vulgares illi versiculi leguntur, quibus exprimi solent modi, indirectè reatum alicujus delicti contrahendi:

*Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,  
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.*

Illud certum usuq; comprobatum est, hos duellorum arbitros arbitrariâ poenâ adfici, & pro re nata hanc ad ultimum suppliciû extendi posse. *Carpz. pract. crim. p. 3. qu. 119. n. 16. & p. 3. qu. 138. n. 19. seqq.*

LII. Causæ, propter quas ejusmodi duella condici solent, variæ sunt: cum primis tamen ad illa provolant, si quis alterius existimationi, famæ aut nomini obrectaverit, aut alia quis perpensus fuerit, quæ dignitati suæ vel honori videantur esse dedecori: Hinc illud *ἄξιωμα* nimis frequens & *Φαπλινὸν*, *Fama* & *Vita pari passu* ambulant. Et alterum illud non minus in hac causa crudum; *Crudelis in se est, qui famam suam negligit*. Neque enim per alterius injurias revera mihi eripi potest vitæ innocentia, & hinc proveniens honesta bonorum opinio, seu honos. Interim adversus hujusmodi improbi hominis malitiam & conatum multa prædita sunt legitima remedia, & non una injuriarum actio suppetit. Et licet fortè hoc des opinioni vulgari, delibari cujusquam existimationi per injurias posse, non tamen ea propter cadem moliri convenit. Si etiam crudelis in se, qui in super habeat, quidquid etiam alii de se sentiant vel loquantur, non tamen per duella & homicidia remedia sunt quærenda. Solent etiam colores obtendi istis axiomatibus ex *l. 8. in fin. ff. quod met. caus. & l. 9. ff. de manum. vind.* quos dilutos videre licet apud *Carpz. Jurispr. for. p. 4. const. 10. def. 6.* Graviter Reip. nocent, qui nummos adulterant, multi autem gravius, qui legum sententiam tam impudenter corrumpunt, pessimisq; erroribus illarum auctoritatem obtendere satagunt.

LIII. Primò itaque certissimum est, nullum prorsus injuriæ genus inter homines nasci, cujus disceptatio & dijudicatio non regulariter ad Judices pertineat. *Cum aliqua de re dissident homines, ad Judicem confugiunt. Adire Judicem, adire jus est. Nihil aliud videtur esse Judex, quàm jus animatum;* inquit Aristoteles *5. Nicom. 4. §. 19. seq.* Rectè quoque Grotius docet *lib. 1. de I. B. P. c. 3. m. 1. Quanquam Judicia publica non à natura, sed à factò sunt hu-*  
*mano;*

mano; cum tamen multò sit honestius, & ad quietem hominum conducibilius, ab eo, cujus nihil inter sit, rem cognosci, quam homines singulos nimium sæpè amantes sui, quod jus putant, id manu exsequi, tam laudabili instituto obsequendum ipsa dicat equitas & ratio naturalis. A quo tamen hæcenus dissentimus, quod iudiciorum originem unicè factò humano tribuat. Callistratus I C tus ait. Cognitionum numerum ex variis descendere causis, & in quatuor ferè genera eas dividi posse; vel enim de honoribus gerendis agitari, vel de re pecuniaria disceptari vel de capitali crimine quaeri, vel de existimatione læsa cognosci. *l. 5. ff. de extraord. cognit.* Procul dubio ergò etiam in iis causis jus dici poterit, quæ duellis solent explicari. Quod quod ipsa recta ratio dictitet, neminem in sua causa idoneum esse Judicem, præprimis si ille sit in fermento, & cum aliis adfectibus tum cæca ambitione æstuet. Atque hinc generali lege pridem ab Impp. decretum est, neminem sibi esse Judicem, vel jus sibi dicere debere. *l. un. C. ne quis in sua causa judicet, vel jus sibi dicat. Perez. ibi. 1. & Brunnem. l. 14. de Jud. & Cælic. verissimum enim est vetus illud, Quisque suas injurias plus æquo æstimat. Add. Aristoteles 3. Polit. 6. & 12. Quo igitur titulo ac jure sibi Nobiles aliiq; in honore vindicando sumunt ultionem privatam, qua non minò ipsis, quàm generaliter omnibus hominibus extra Judicii locum constitutis interdictum est? Si enim Nobilis ab alio Nobili non vult lædi in suo castro, eaq; annexa fortè jurisdictione; sed, si tale quid fiat, vehementer excandescit: quantum indignari Deum putas, si quis Nobilis, aut alius, divinum Regale, Vindictam, privato ausu involet?*

LIV. Præterea cum Honor sit Virtutis præmium, actione injusta prorsus & vitiosa illud exposcere qui poteris? Itaque si tibi quis non adsurgat, nec primum aut digniorem locum concedat, tecto te capite prætereat, aliave reverentiæ signa tibi deneget, aut non satis apta vel luculenta exhibeat, nullum profectò tibi jus est talia importunius exigendi minimè omnium  
telo

telo lethifero expugnandi. Quod si verò homo improbus (bonus enim non faciet) te calumniatur, dicatq; te esse injustum ac prævaricatorem: si te intemperantem dicat, scortatorem, furem, vanum, mendacem, sceleratum; hæc sanè melius tibi conscio Christiana nobilitate patienter devorare & concoquere fas est. *Matth. 5. v. 15.* Sed & ejusmodi calumnias ulcisci non est prorsus nefas, at tamen non tua sententia ac manu, sed judicis. Demens profectò ulciscendi ratio est, si quis contumelia aut injuria læsus ita se vindicet, ut eidem periculo se subicere cogatur non minus læsus quàm lædens, utpote monitus hanc rem, paribusq; armis instructus. Turcæ & Itali sanè hanc stoliditatem agnoscunt, sed non minori tamen acerbitate ultionem explent, sicarios & percussores iis, à quibus læsi sunt, clam immitentes. Unde jam suo ævo Innocentius IV sacris abstentus, & à toto Christiano populo perpetuo diffidatos esse jussit, qui per Assassinos quempiam oppresissent. *C. pro humani. 1. X. de homicid. in 6.* Sicuti enim vocabulum Assassinorum, ita rem ipsam Turcis debem⁹. Sic autem dicuntur conductitii ad alios interimendos, præcipuè viros principes. Legi de his poterit *Nicetas Choriates initio lib. 2.* è Latinis *Matthæus Parisius in an: 1150 & 1257. Guil. Tyrius lib 20. C. 31. Jacobus à Vitriaco Histor. Orient. cap. 14.* Restius Gentiles ipsi senserūt, qui partim cōtemptu, partim patiētia, partim Judicis subsidio hac injurias optimè vindicari posse existimāt. Quid si me asin⁹ calcitraret? inquiebat ille. Memorabile ultionis depositæ exemplum extat apud *Valerium Maximum. l. 4. c. 1.* de M. Bibulo, viro amplissimæ dignitatis, & summis honoribus functo, cujus duos egregiæ indolis filios Gabiniani milites occiderant. Hos ad eum vinctos regina Cleopatra ex Ægypto misit, ut gravissimæ cladis ultionem arbitrio suo exigeret: at ille oblato beneficio, quo nullum majus tribui lugenti potuerat, dolorem moderationi cedere coëgit, carnificesq; sanguinis sui intactos è vestigio ad Cleopatram reduci jussit, dicendo, potestatem hujus vindictæ non suam, sed senatus esse debere.



debere. *Itane*, meritò exclamat hæc historia indigitata *Cornelio à Lapide Jesuita Comment. in epist. ad Rom. c. 12. gentilis princeps privatæ injuriæ ejusq; gravissima ultionem resignat senatui & Christianus eandem non resignabit Deo suo? Pudeat Christianos, se probitate ab ethnicis vinci. Et profectò dolendum est, quod isti nostrates duellatores non solum negligant officia humanitatis juriumq; naturæ, sed planè non meminerint se Christianos, adeoq; ad præcepta & exemplum Christi esse obligatos, à quò tam sedulò Patientia & Charitas omnibus Christianis est commendata, *Matth. 5. v. 44. seq. Roman. 12. v. 17.* Adde quæ in hanc rem differuntur uberius à *Grotio lib. 1. d. I. B. P. c. 2. n. 8. & c. 3. n. 3.* Quibus regulis spretis si iræ & adfectibus suis indulgeant Christiani, indignos se reddunt, pro quibus Christus infami ligno suspensus sanguinem suum effundi passus sit, dum adeò crudeliter sanguinem humanum sitiunt: indignos, pro quibus Christus sit mortuus, dum tam truculento more eos obtruncant, sine cura vel propriæ ejusq; æternæ salutis, quos diligere, & quibus benefacere à Christo jussi erant. *O Domine*, inquit *Ambrosius lib. 10. in Lucam, cur me emere jubes gladium, qui ferire me prohibes? Cur haberi præcipis, quem vetas promi? nisi fortè ut sit parata defensio, non ultio necessaria:* Hanc morum in Christianis perversitatem eleganti libello exhibuit, *Franciscus Ridderus*, concionator *Roterodamensis*, & meliora gentilium exempla cum aliarum virtutum tum etiam mansuetudinis *cap. 23.* proposuit, qui hoc anno prodiit sub titulo, *den beschaemden Christen overtuigt der het leven van Heydenen.**

LV. Jam quæso videamus, quæ portenta nobis in hac materia prodixerint Theologi Morales, & cum primis Casuista Jesuitæ, & quàm longè illa à Justitia & veritate abeant. *Sanctius in sum. lib. 2. c. 39. n. 7.* ita docet: *Melius alii dicunt, licere innocenti duellum acceptare & offerre ad vitam, honorem, & res familiares in notabili quantitate tuenda, quando constat omnino injustè & per calumniam auctorè procedere, & certum est omnino fore, ut hæc*

innocens amittat, nec aliud sibi evadendi remedium suppetat: atque  
optimè Bannes ait, licere innocenti in his casibus acceptare & offerre  
duellum; imò & non provocando ad duellum occidere occultè  
actorem illum calumniosum: cum hac occiso sit vera defensio. Imò  
benè Navarra n. 290 ait, teneri innocentem non acceptare duellum,  
nec indicere, si potest occultè illum occidendo id vitæ, honoris, re-  
rum familiarium periculum evadere: quippe sic proprium vitæ peri-  
culum in duello imminens vitabit, & peccatum actoris offerentis vel  
acceptantis duellum. Navarra etiam hæc sunt: Ex sententia omni-  
um licet contumeliosum occidere, quando aliter ea injuria arceri ne-  
quit. Audiamus quoque Lessium: Si nomini, inquit, meo falsis  
criminationibus apud judicem vel viros honoratos detrahere nitaris,  
nec ulla ratione possèm illud damnum fama avertere, nisi te occultè  
interficiam. Petrus Navarra inclinatur, licitum esse: & Bannez, addens,  
idem dicendum, etiam si crimen sit verum, si tamen est occultum, ita ut  
secundum justitiam legalem non possit pandere. Idem tenent quidam  
recentiores. Probari potest: quia si baculo vel alapa impacta velis me-  
um honorem vel famam violare, possum armis prohibere; ergò etiam  
si id coneris lingua. Nam parùm videtur referre, quo instrumento  
quis nitatur inferre noxam, si æquè efficaciter noceat. 2. contumelia  
possunt armis impediri; ergò etiam detractiones. 3. periculum fama  
aquiparatur periculo vitæ: atqui ob periculum vitæ evadendum li-  
cet occidere. Adjiciat calculum jam suum Franciscus Amicus,  
qui ita loquitur tr. 5. disp. 36. n. 118. Unde licebit Clerico vel Religio-  
so calumniatorem gravia crimina de se vel de sua Religione spargere,  
minantem occidere, quando alius defendenti modus non suppetit, uti  
suppetere non videtur, si calumniator sit paratus ea vel ipsi Religiosa  
vel ejus Religioni publicè coram gravissimis viris impingere. Et infra:  
Quo jure licitum est seculari in tali casu calumniatorem occidere, eo  
jure videtur Clerico ac Religioso; cum in hoc Religiosus & secularis  
sint omninò pares: cum non minus jus in talem honorem habeat Cleri-  
cus & Religiosus, imò majus, quantò major est professio sapientiæ &  
virtutis, ex qua hic honor Clerico & Religioso progignitur, quàm sit  
valer

*valor & dexteritas armorum, ex qua honor secularis nascitur. Quid  
 Caramuel? Ille Amico ita applaudit in sua Theol. Fundament. p.  
 544. Doctrinam Amici solam esse veram, & oppositam improbabilem  
 censemus omnes docti. Idem ibid. §. 7. p. 551, sequentia recitat: Le-  
 gisti hanc doctrinam, & inquiris: An homo Religiosus, qui fragilita-  
 ti cedens feminam vilem cognovit, qua honori ducens se prostituisset  
 tanto viro, rem enarrat, & eundem infamat, possit illam occidere?  
 Quid scio? At audivi ab eximio Patre N. S. Theologia Doctore ma-  
 gni ingenii & doctrina viro: Potuisset Amicus hanc resolutionem o-  
 mittere; at semel impressam debet illam tueri, & nos eandem defende-  
 re. Doctrina quidem est probabilis, sed qua posset uti Religiosus, &  
 pellicem occidere, ne se infamaret. Tu rem accuratè perpende. Ac-  
 cedat his Sanchez, Oper. Mor. in Decal. l. 2. c. 39. n. 7. Melius alii di-  
 cunt, licere innocenti duellum ad vitam, honorem, & res familiares in  
 notabili quantitate tuenda, quando constat omninò injustè & per  
 calumniam actorem procedere, & certum omninò est fore, ut inno-  
 cens hæc amittat, nec aliud sibi evadendæ remedium suppetat. Quia  
 si hoc duellum rationem defensionis cum moderamine inculpatæ tute-  
 læ induit, & defensio contra invasorem est licita, & pro vita,  
 & pro honore, & pro rebus etiam tuendis. Et ita hanc senten-  
 tiam tenent Bannez, Manuel, Navarra, qui meritò rejicit limitatio-  
 nem Cajetani, petentis consensum Principis. Nam defensio jure ipso  
 naturali absque alicujus licentia conceditur. Atque optimè Bannez,  
 ait, licere innocenti in his casibus acceptare & offerre duellum ob ra-  
 tionem traditam: imò & non provocando ad duellum, interficere  
 occultè actorem illum calumniosum. Cum hæc occisio sit vera defensio.  
 Imò bene Navarra ait, teneri innocentem non acceptare duellum, nec  
 indicere, si potest occultè illum occidendo id vitæ, honoris, rerum fami-  
 liarium periculum evadere. Quippe sic proprium vitæ periculum in  
 duello imminens vitabit, & peccatum actoris offerentis aut acceptan-  
 tis duellum. Atque ejus farinae uberiorè etiã messem in scripto-  
 rum istorum fundis metere licet. Ut certè vel hinc commone-  
 facti nonnulli Viri docti, qui omnibus aliis hos novos Casui-*

stas præferunt, haut temerè illorum placitis subscribant, sed cautè ac sollicitè in iis examinandis versentur. Latent sæpè angues in herba. Rectius sentit Grotius: *Si quid aliquis de nobis dicat, quod creditum apud bonos existimationem nostram delibaret? Hunc quoque occidi posse sunt qui doceant. Mendosè admodum & contra naturæ jus. Nam interfectio ista non est modus aptus ad tuendam existimationem lib. 2. de I. B. P. c. 1. n. 10.*

LVI. Dixi de Injuriis verbalibus. Quid verò si quis realiter, puta à alapa, aliave atrociori injuria lacessatur, licetne hanc duello ulcisci? Adfirmandum hoc esse videtur juxta tritum illud, *auff einer Maultschelle gehört ein Dolch*. At ex superioribus jam satis liquet, nullam injuriam cuiquam privato ulcisci fas esse, nisi via legitima, & ubi Judicis copia & autoritas suppetit. Adagia vero hujusmodi ex malis moribus nata nullum iis jus conciliare possunt. Objici his potest notabilis glossa Juris Saxon. *in art. 78. lib. 3. LandR. Wer dich mit Fäusten schläget/den soltu nicht mit einem Schwert nieder schlagen /sondern auch mit Fäusten*. Putat tamen Carpzovius hoc casu homicidæ ordinariam pœnam decerni non posse, sed vel relegationē, vel amputationē manus, plerūque autē fustigationē. *p. 4. jurispr. for. const. 10. def. 5.* Interim & hoc considerandum est, si tali pœna extraordinaria adficitur, qui subitò & è vestigio injuriam realem nece aggressoris ulciscitur, multò gravius fore facinus, si mora quadam interlabente certus dies aut tempus funesto duello ad ulciscendam injuriam condicatur. Distingvendum itaque erit, sitne illa injuria jam expleta, an verò inferri paretur, seu immineat. Si expleta, v. g. alapa jam impacta est, ulcisci eam non licet nisi per Judicem. De posteriori casu ita differit Grotius *lib. 2. de I. B. P. c. 1. n. 10.* *Si cui, inquit, periculum immineat accipiendæ alapæ, aut mali similis, huic quoque jus esse id arcendi cum eade inimici, sunt qui putant. Ego, si mera Justitia Expletrix respiciatur, non dissentio. Quanquam enim inæqualia sunt Mors & Alapa; tamen qui me injuria parat adficere, is mihi eo ipso dat jus, hoc est, facultatē*

cultatem quandam moralem adversus se in infinitum, quatenus aliter malum illud à me arcere nequeo. Caritas quoque per se non videtur nos hic obstringere in gratiam nocentis. At lex Evangelica omninò tale factum illicitum reddidit; Jube enim Christus a lapam accipi potius, quàm adversario noceatur: quànò magis occidi eum vetat a lapam effugienda causa? Post aliqua huc speciatim non pertinentia ita pergit: Mirum autem est, cum Dei voluntas in Evangelio tam disertè appareat, inveniri Theologos, & Christianos Theologos, qui non modò eadem rectè putent admitti, ut a lapam vitetur; sed & accepta a lapam, si, qui eam impigit, fugiat, ad honorem, ut ajunt recuperandum: quod mihi à ratione & pietate valde alienum videtur. Nam honor est opinio de excellentia. At qui talem fert injuriam, is patientem se excellenter ostendit: atq; ideo honorem auget magis, quàm minuit. Nec refert, si quidam corrupto judicio virtutem hanc improbrum confictis nominibus traducant. Perversa enim illa judicia nec rem nec rei estimationem immutant. Nec Christiani veteres hoc tantùm viderunt, sed & philosophi, qui dixerunt, pusilli esse animi, contumeliam ferre non posse, ut alibi ostendimus.

LVII. Sed uti aliàs non semel, ita & in hac causa à Jesuitis Casuistis, dum illos incautiùs versavit, se decipi passus est Grotius. Etiam si enim, legem Evangelicam quod attinet (quæ ipsius frequens est hypothesis) ab illis dissentiat; non tamen reliqua omninò benè se habent. Quippe plusculum concedit, dum existimat, eum, qui me paret injuria adficere, eo ipso mihi jus dare adversus se in infinitum, ejus avertendæ gratia. Nec hoc conveniens est naturæ Justitiæ Expleticis, ut ipse putat. Quia enim Justitia *διορθωτική* est æqualitas, quæ inter injuriam illatam, aut qualis inferri paratur, & ejus declinationem proportionem servare jubet; eo ipso in infinitum defensionem progredi vetat. Dat scilicet facultatem defendendi, non in infinitum, sed pro injuriæ gravitate; cum primis ubi Judicii copia ac præsidium non continuè cessat:

LVIII. Quid vero si a lapam similemve injuriam immi-

nentem fuga declinare queam, fugere debeo, an injuriam talem imminentem potius nece aggressoris occupare licet? Hac de re ita differit Grotius *d. l.* *Hinc etiam liquet, quàm non probandum sit, quod à plerisque (novis putà Casuistis) est traditum, defensionem cum interfectione esse licitam, jure scilicet divino (nam de solo natura jure quò minus ita sit non disputo) etiamsi quis fugere sine periculo possit, quia scilicet fuga ignominiosa sit, in nobili præsertim homine. Atqui nulla hic ignominia est, sed falsa quadam ignominia opinio, adspersenda ab omnibus iis, qui virtutem & sapientiam sectantur. Quæ in re gaudeo me adsentientem habere inter Jurisconsultos Carolum Molinarum. Quod de alapa & fuga dixi, idem dictum volo de aliis rebus, per quas vera existimatio non laeditur.* Hactenus benè, quod fugam potius arripiendam esse statuatur, quàm ut defensionem sui cum nece aggressoris suscipias, aut injurias ejus evites; malè autem docet, ad hoc nos obligari sola Lege Evangelica, quam fingit, cum declinationem injuriæ cum interfectione aggressoris licitam esse putet Jure Naturæ, licet illam avertere fugâ possis. Non enim solùm falsa est hæc ignominia opinio, quæ in tali fuga vulgò poni solet, sensu Legis Evangelicæ, sed etiam Juris Naturæ, quod ignominiam nemini imputat, nisi propter vitium. Tali verò casu fugere, non solùm vitium non est, sed moderatio Prudentiæ circa iram cohibendam, & temperandam defensionem.

LIX. Quod si denuo hic Jesuitarum dogmata repetere liberet, pius animus non posset non exhorrescere, tam illa sunt insulsa, impia, absurda. Adeat, cui volupe est compendiosè ista cognoscere, Ludovici Montaltii *Epist. VII.* & quæ nos in subiecto Examine nostro Probabilitatis Jesuiticæ *cap. 9.* ex variis Doctoribus congestimus. Unum tantùm commemorabo ex *Esob. Tr. 1. ex. 7. n. 45.* ubi quæstione tali proposita, An post impactam alapam percussorem fugientem insequi & interimere liceat? licere ait, hac ratione addita: *Annon alapa percussus censetur & amdiu bonore privatus, quamdiu adversarium non interimat?*

Imò

Imò ut fuga se quis defendat, multis etiam JCtis, qui alioqui non sunt *πονηρὸ νόματ* *Θ*, ceu ignominiosum fuit visum: quos inter nollem etiam esset Perez, ad. tit. C. quand. lic. u. nic. sine jud. se vind. n. 4. Cui tamen rectè contradicit Brunnem. ad l. 2. § 3. C. ad l. Corn. de sicar. Uti enim verum est, non obligari quempiam ad fugam cum periculo conjunctam; vid. th. 22. supr. ita perinde non obligari ad fugam, propter solam fallacem ignominia opinionem falsissimum est. Carpzov. p. 1. pract. crim. q. 30. n. 25. seq. ubi egregiè nostram sententiam confirmat, & dubitationibus objectis occurrit. Busius in l. 5. ff. ad l. Aquil. n. 7. Non possum, quin hic inseram quædam de moribus Sinesium hanc ad rem pertinentibus, quos describit Johannes Neuhoff der Ostindt ch. u. Compagnie Gesandt chafft an den Tartarische Cham und nunmehr auch Sinischen Keyser Hoffmeister/in der allgemeinen Reisebeschreibung des Reichs Sina cap. 1. p. m. 243. his verbis: Niemand mag in den Sinischen Städten Wehr und Waffen tragen/ auch weder die Soldaten und Kriegssobersten selbst/ noch die Gelahrten (so höher dann jene) es sey dann daß sie Muskeung halten/ oder im Gewehr sich üben/ oder zu Felde ziehen; Wiewol einige Adelige Persohnen mit Gewehr die Regenten comitiren. So hat auch niemand innerhalb Hauses ein Gewehr/ ohn zuweilen einen rustigen Dolch/ welchen man wieder die Strassenräuber auff öffentlichen Wegen gebraucht. So überaus hefftig erschrecken und fliehen die Sineser vor gewapneten Leuten. Dannenhero selten ein Streit und Tumult entsteht/ der nicht mit Fäusten geschlichtet wird. Wie denn auch kein Sineser so blutdürstig ist/ daß er die ihm zugesügte Unbilligkeit mit dem Todt zu rächen suchet/ und wird derjenige so dem andern weicher und ihn nicht zu verlegen begehret/ als ein fürsichtiger und tapffrer Mensch gelobet. Barbariem nostrates duellatores hanc animi æquitatem interpretabuntur, non agnita tua barbarie.

LX. Cum primis autem verissimæ huic sententiæ obniti videtur *Art. 140. Const. Crim. Carol.* cui ut tantò commodius satisfiat, ipsa ejus verba proponemus: So einer jemand mit einem tödtlichen Wafften/oder Wehr überläufft /ansich /oder schlägt/ün der Benöthigte kan süglich ohn Fährlichkeit oder Verletzung seines Leibes/Lebens/ Ehr und guten Leummuths nicht entweichen/der mag sein Leib und Leben / ohn alle Straff/ durch eine rechte Gegenwehr retten. Huic sanctioni innixi multi pertendunt, non obligari quæmpiam ad capeffendam fugam, si hinc ex opinione vulgi fugienti aliquod dedecus sit exstiturum, etiamsi arrepta tutò fuga periculum omne evitare potuisset; imò nihil hunc peccare, qui tali fuga omiffa aggressorem sive vim aut injuriam parantem obtruncet. Parificari enim ajunt, nõ posse absolutè recedere, & posse, sed non nisi cum dedecore, recedere. *Ludov. Gilhaus. arbor. Jud. crimin. cap. 2. tit. 12. n. 26.* Cui etiam suffragari videtur *Dion. Gothofr. ad l. 10. ff. ex quib. caus. Maj.* At hoc *l. 10.* malè cum præfenti causa, utpote multum dispari conferatur. Cum enim *ICtus l. 9. d. t.* dixisset etiam ei per restitutionem in integrum succurri, qui in vinculis fuisset; subjicit *Ulpianus l. 10.* in vinculis etiam eos accipi, qui ita alligati sunt, ut sine dedecore in publico parere non possint. Quis non videt, æquitatis ratione placuisse, ut qui sine dedecore in publico non possit comparere in vinculis hætenus detineri credendum esse, ut ei per restitutionem subveniatur, non autem, ut ea propter quidvis illi vel committere vel omittere, occidere etiam hominem amiffa fuga fas sit, quàm arripere potuisset atq; debuisset, ne occideret. Et quoqve omninò est *ἄπροσδιόνυσον*, quod porrò addit *Dionysius*, Impossibilia censerì, quæ non nisi cū dedecore fieri possunt. Hoc enim uti verissimum est de iis factis, quæ cum morali turpitudine conjuncta sunt; ita malè idem adfirmaveris de iis, quibus errore vulgi dedecus tribui fortè solet, cum potius laudem mereantur ceu rectè & prudenter facta. De prioris generis loquitur ab illo citata *l. 15. ff. de condit. instit.* non autem de



de posterioris generis rebus. Itaq; cum fuga talis, de qua diximus, ad hoc, non ad prius genus pertineat, neque impossibilis, neque dedecoris alicujus labem adspersam habere consentanda est. Imò si hæc mens fuit eorum, qui hanc Constitutionem memoratis verbis contexuerunt, quam hinc à multis colligi & defendi jam diximus, moresq; gentis nostræ admodum verisimiliter arguunt; non dubito illam in foro conscientiæ hæcenus iniquam & intolerabilem pronunciare. Quem scopulum ut effugiant alii ICTi, qui nostram eamq; veram sententiam amplexi sunt, aliis atque aliis adsertis inter pretationibus illi opitulari student. Carpzovius verba memoratæ sanctionis intelligenda esse ait de iis, qui ratione potestatis, datæ fidei, & ex speciali obligatione vel adfectione alteri periclitanti succurrere obstricti sunt: Qualis est servus, cui turpe fuerit, si dominum suum in periculo constitutum deserat: Vasallus, si dominum periclitantem non juvet: & alii, qui proximo in discrimine nõ subveniunt, sed cum dedecore fugiunt. *p. 1. pract. crim. qu. 30. n. 62.* Hunc sequitur Frantzkius *lib. 2, Resol. qu. 23. n. 29. seqq.* Henricus Bocerus putat, illam Constitutionem locum habere in marito & parente adulterum & stupratorem *ἐπὶ δούλοφώρω* deprehendentibus, eorumq; vim turpiter fugientibus. *l. 2. de duello. l. 10. n. 54.* Quod commentum etiam placet Bernh. Græveo. Zieritzius in suo ad Nemesim Carolinam commentario existimat, illa verba conjunctim esse accipienda, ut tum demum occupare necem aggressoris liceat, si periculum ab illo imminens tutò effugere nequeam neque sine periculo vitæ, neque sine periculo læsionis in corpore, neque sine læsione estimationis: in quam sententiam etiam propendere videtur *Matth. Stephani add. art.* Struvius *dissert. de vindicta privat. tb. 27.* ait, illa, quæ de læsione famæ memorantur, esse intelligenda de summo dedecore, quod quis fugiendo sibi ipsi inureret; neq; enim tum, pro defensione famæ occidi in-

I

vaden-

vadentem, sed pro defensione vitæ quam resistendo eo casu defensor legitimè suscepit. Gilhausen *ad d. art. 140.* ita scribit: Licet vulgò Dd. existiment, fugæ necessitatem nemini imponi, eò quod non solùm ignominiosa, sed etiam periculosa sit. Eam tamen opinionem, non aliter æquitati & pietati consentaneã esse cum quibusdam censuerim, quàm si provocatus in dubio vitæ discrimine constitutus fuerit, ita ut fugã salutis suæ citra periculum rectè consulere non potuerit. Alii hujus textus antecedentia & consequentia inter se comparantes observant, præmitti quidem tria, si quis fugere nequeat salva vita, incolumitate corporis, fama & existimatione; deinde verò repeti tantùm duo, incolumitatem corporis & vitæ, *der mag sein Leib und Leben ohne alle Straffe durch eine rechte Gegenwehr retten*: Atque hinc colligunt, Legislatorem illam demum eadem impunitatem esse velle, quæ corporis aut vitæ defendendæ gratia suscipitur: nõ autem illam planè impunitè fore, quæ fit, cum honoris & existimationis periculo ex vulgari solùm opinione pendente, quis occidere, quam fugere maluit, cum tamen tutò hoc est, salva incolumitate corporis & vitæ fugere potuisset. Quæ explicatio uti vero est consentanea, modò ea circa defensionem corporis attendantur, quæ supra fuerunt proposita th: 24. ita omnium est optima. Unam enim alteramq; è superioribus nimis anxie quæsitam esse quis non videt? Ratum ergo esto, quod, si tutò quis periculum vel injuriam imminentem effugere possit, omnino obligetur ad fugam arripiendam, neque hac amissa occidere impunitè aggressorem potest: quod affatim demonstravit unus instar omnium Iustus Frantzkius *Exerc. 12. qu. 6.* cui peregregiã de iniquitate duellorum digressionem attexuit.

LXI. Hæc licet ita sint, dubito tamen, an Nobilium ordo aliive his sint ad sensurum: Ut enim quisque est generosior, ita animi magnitudine præcellit, quæ, injurias ut ferat, nescire videtur. Distinguunt etiam nonnulli inter nationes fortitudine præstan-

præstantes & timiditate famosas. Lepidus sanè est Bartolus ad  
 l.3. ff. de Inst. & Jur. Cujus hæc verba recitat Damhond, *prax. crim.*  
 c. 76. n. 9. *situes Perusinus famam ac dedecus metuens, ad actum us-*  
*que occisionis procedere potes, quod summum sit dedecus Pectore ma-*  
*gnanimo & generoso, turpiter adversario invadenti cedere. Sed ille, cui*  
*nulla est gloria, nominis ac honoris ratio, qualis est Florentinus, &*  
*commode fugere potest, neglecta nominis gloria; certè modis omnibus*  
*fugere tenetur, & si non fugit punitionis crimen incurrit.* Hoc scili-  
 cet Bartolus amori suo dedisse videtur, quod Perusii diu do-  
 cuerit, ibiq; uxorem duxerit, & odio fortè cuidam adversus  
 Florentinos: quibus gravis causa esset ab omnipotentia Papæ  
 contendendi, ut hæc verba per Indicem Expurgatorium Bar-  
 toli operibus eximantur. Ille verò deinceps mutavit senten-  
 tiam, & missa hac destinatione, statuit, nullum teneri fugere,  
 cujuscunqve etiam conditionis sit. Quæ sanè sententia impia  
 est & prorsus injusta: ceu abundè demonstratum est à Franzkio  
*d. l.* Ut verò Nobilibus tantò magis satisfiat, pauca de ipsa Nobi-  
 litate promitemus. Vel enim illa nititur Virtute in genere, in  
 qua unicè Nobilitatem reponit Poëta Satyricus: *Nobilitas sola*  
*est atque unica virtus.* Vel speciatim in Fortitudine: Vel in anti-  
 quis natalibus & divitiis. Si quis igitur sit Virtute nobilis, is sa-  
 nè erit Magnanimus, adeoq; verè bonus, qui præter modum  
 & rationem nemini nocere cupiet, sed potius injurias leves  
 contemnet, graviores ad Judicem deferet. Audite generosum  
 nobilemq; Philosophum Aristotelem: *Magnanimus vir in ho-*  
*ribus & ignominis maximè spectatur.* Circa posterius objectum  
 quo modo se gerat, ita explicat: *Ignominiam atque infamiam con-*  
*temnet, quia in eum jure cadere non possunt.* 4. Nicom. 3. §. 33. & 37.  
 En veram philosophiam, & homini generoso convenientem,  
 si quis Nobilitatem rebus in bello præclarè gestis meruerit, &  
 in posteros eã transtulerit (fortes enim creantur fortibus;) is si ve-  
 rè sit fortis, etiam erit prudens. Si enim cujuslibet Virtutis acto-

ones Prudentia debito modo, & ad debitum finem dirigit, absque dubio & hoc locum habebit in actionibus Fortitudinis. Sicuti igitur Prudens non est, qui neglecto Iudice, privatam vindictam arripit, qui, sprete Patientiæ & Charitatis tam sedulo ac serio Christianis factâ commendatione, quaslibet injurias ferro & nece illata ulcisci parat, ita nec verè fortis est, nec suæ nobilitati convenienter agit. Quippe verè fortis quomodo actiones suas moderetur, idem docet Philosophus peregregiè 9. *Nicom. 8. sub fin. Negligit, inquit, ille opes, honores, ceteraq; bona vulgò magna contentione queri solita.* Ostenditq; mox, illum propria & amicis libenter mortem oppetere, & malle unum annum honestè vivere quàm multos *τυχόνως*: sed omnia hæc facturum virum fortem ait solius Honestatis studio, & ad hanc cynosuram omnes suas actiones relaturum esse. Cum igitur illa ambitiosa quorundam Nobilium duella germanæ prudentiæ regulis, imò divinis naturæ & civilibus legibus repugnent, vera fortitudo in illis nulla est. Et vero cum pleriq; Europæi Nobiles generis sui dignitatem à virtute bellica nacti sint, non profectò his duellis, sed justis, si ita visum fuerit, bellis prudenter & verè fortiter, sine conscientiæ morsu aut æternæ salutis dispendio eam optimè tuebuntur & ornabunt. Benè Martialist

*Nolo virum facili redimit qui sanguine famam:*

*Hunc volo laudari, qui sine morte potest.*

Atque istis, quas dixi legibus æquè necessario nexti obstricti sunt Nobiles, ac quivis alii homines vel subditi, sicut nulli vel ordini vel homini Deus hic quandam prerogativam indulgere voluerit. *Frantzsk. d. Exer. 12. n. 11. seq.*

LXII. Apage ergò improba Jesuitarum novorumq; Casuistarum placita, omni jure damnata. Ita enim Casp. Hartado apud Dianam *part. 5. tr. 14. resol. 99. Pone hominum nobilem ad alio provocari ad duellum, qui si illud recusat, non censetur illud recusare propter legem Dei, sed propter timiditatem; quia non bene audit de*

dit de observatione legis, quia se facile projicit in alia peccata: vel certe alia ex causa conseqbitur timidus, & ab aliis despicietur, apud quos semper erit inglorius, ex quo non levia damna & incommoda sequerentur. Est igitur quaestio, utrum in hoc casu possit provocatus exire in locum condictum, non cum absoluta voluntate pugnandi, sed cum conditionata, si à provocatore prius petatur injustè. Provocati autem absoluta voluntas est, tueri opinionem viri fortis, & depellere infamiam timiditatis: quæ objecta per se sunt honesta necessaria viro nobili ad degendam vitam decore inter suos, præcipuè militi, qui ab exercitu censetur Gallina & non Vir: media autem quæ elegit ad hunc finem sunt indifferentia ad bonum & malum: nempe egredi, in agrum, & in eo deambulare, quæ media honestantur ab eo fine: hæc absolutè vult provocatus, pugnare autem non vult. Si ab alio petatur injustè, vult sub ea conditione se inculpatè tueri, si alia ratione commodè non possit: in hac occasione videtur provocatus minimè peccare, neque acceptare duellum: quia acceptatio duelli est voluntas deliberata sui absoluta, quæ homo iste caret. Quæso quos ille ludos facit, quas præstigias? Latet hic scilicet specimen Methodi dirigendæ intentionis, ad eversionem Justi & Honesti à Jesuitis excogitatæ: de qua festivè differentem vide Ludov. Montaltium epist. 7. Laymanni hæc sunt l. 3. part. 3. c. 3. n. 2. Si rarissimo casu res sita sit, ut miles in exercitu, vir equestris in aula regia, officio, dignitate, Ducis aut Principis favore ob ignavia suspicionem excidere debeat; non audeo damnare eum, qui mera defensionis gratia duellum susceperit. Et quid si ipsi Principes quandoque calcar iis addiderint, qui ad generum Cereris acriter per se properant, probrosis dictionibus non planè incognitis, wir wollen keine Verhåuter an unserm Hofe haben. Sed de his infra.

LXIII. Nullo etiam jure iis, qui militant, & vel in castris aut stativis, aut præsidio, aut in expeditione sunt, Duellis congregari fas est. Quo enim major annorum est abusus, eò graviori pæna is est compescendus. At verò quæ possit miles pejus

suis armis abuti, quàm si vel se confodiendum offerat in  
 duello, aut ipse suum commilitonem obruncet, idq; faciat  
 tempore tam necessario, quo minimè Republica potest orbari  
 aut spoliari aliquo membro, & præsto sint hostes in quos & for-  
 titudinem, si quam habet, & fortitudinis cotè iram justè laxare  
 queat. Si miles sine mandato excurrat in hostem, illum ob-  
 truncet, aut aliàs rem bene gerat, capital est; quò igitur severiùs  
 illi fuerint puniendi, qui sine mandato non solùm, sed legibus  
 militaribus & Ducibus Iudicibusq; spretis in suos commili-  
 tones sæviunt! Modestinus l. 3. §. 15 ff. de re milit. *In bello qui rem à  
 Duce prohibitam fecit, aut mandata non servavit, capite punitur, eti-  
 am si res bene cesserit. Itaque Salustius ubi Romanam disciplinam de-  
 scribit, In bello, inquit, sæpiùs vindicatum in eos, qui contra imperium,  
 in hostem pugnaverant, quiq; tardiùs revocati prælio excesserant. No-  
 ta est severa Manlii Torquati disciplina, qui filiù lictoris manu  
 occidi iussit, quod injussu imperatoris hostem adortus oppres-  
 sisset. Hinc Laco quidam cum hosti imminens audito re-  
 ceptus signo ictum repressisset, scitam hanc rationem protulit,  
 ὅτι βέλτιόν ἐστι τῆς φονεύειν τὸ πείθεσθαι τῶ ἀρχον-  
 τι, quia duci parere satius est, quàm hostè occidere 3. de Grotius. I. B. P.  
 cap. 18. n. 1. Si quis commilitonem vulneravit, si quidem lapide, mili-  
 tari rejicitur: si gladio, capital admittit; inquit J. C. Trus l. 6. §. 6. ff. de  
 re milit. C. Marius (at quantum Imperatorem!) cum Pom-  
 pejus filo superbè provocaret, diceretq; si magnus es Impera-  
 tor, Mari, descende in certamen. Imò tu, inquit Marius, si ma-  
 gnus es Imperator, coge me vel invitum decertare. Ita vir ille  
 fortissimus inimici injurias & provocationem contemptu re-  
 pressit. *Plutarch. Apoph.* sed & aliarum gentium legibus duella  
 severè militibus sunt prohibita. Es soll ein jeder sich ge-  
 gendern andern muhtwilligen Balgens enthalten. *Maxil. 2.*  
*Artickelsbrieff art. 29. seqq. & art. 40. Ein Soldat / der den an-  
 dern/**

der/ohn Erlaubnis dess/n/welcher im Quartier das comman-  
do hat/ausfeder t/soll am Leben gestraffet werden. Der Corz  
poral oder andere/die über die Wacht zu commendiren haben/  
wann sie zweene Soldaten lassen hinaus gehen / sich zu balgen/  
sollen ohne Gnade am Leben gestrafft werden. *Holländisch*  
*Kriegsrecht artic. 42. & 43. & ibi Pappus.* Welcher Officirer/  
Reuter und Fußknecht in Bestungen oder Lägern sein Gewehr  
nicht zu seiner Noth-und-Gegewehr / sondern vielmehr zu of-  
fendirung anszeucht/entblößet und zucket / der sol mit unma-  
chlässiger Leib-und Lebens-Straff belegt werden. *Schwedisch*  
*Articul-Brieff tit. 5. art. 35.* Im Läger/Städten und Bestun-  
gen sol kein Rauffen od. r Balgen verstattet und zugelassen/son-  
dern da einiger Zwispalt unter den Soldaten vorfällt/durch des  
Re. iments-Serichte entschieden werden. r. Lieffen aber Capiz  
tain/Leutenant und Corporalen solches zu und verhinderten es  
nich mit allem Ernst/die sollen von ihrem Ambtern abgesetzt/  
und ihnen auff's neue vor gemeine Soldaten zu dienen aufferles-  
get werden/auch da Schaden daraus erfolget/ nebenst den Ver-  
brechern vor dem Regiment-Serichte davor antworten/und des-  
sen Entscheid erwarten. *tit. 14. art. 67.* *Rectissimè etiã hac in causa*  
*sapiunt Turcæ, quorū de Duellis militū sententiã operæ pretiū*  
*est cognoscere ex Busbequii Epistola 3. Facta paulo suprã rerum*  
*in confiniis Hungaria gestarum mentio, me admonet, ut exponam,*  
*quid Turcæ sentiant de Monomachia, unico apud nos præclara forti-*  
*tudinis testimonio. Fuit in regione Hungaria, nobis contermina,*  
*magna virium fama Singianus Arslambegus. Nemo eo validius in-*  
*tendebat arcum: nullius ferrum altiùs penetrabat, neque hostibus*  
*erat formidolosus. Huic se amulum comparaverat Velibegus ejus-*  
*dem laudis affectat or, finitimorum locorum & ipse Singianus: amula-*  
*tio fortè aliis rebus aucta, ad summum odium, insidias: & vulnera pro-*  
*cessit. Hac an alia de causa arcessitus Constantinopolim Velibegus, mi-*  
*hi incompertum; venit certè. Ex quo cum alia multa quasi vissent in*

*Diva-*

Divano Bassa, postremo de dissidio ipsius cum Arslambego audire voluerunt. Tum prolixè recitavit totam illarum simultatum scenam, causas, progressum, & quò denique evasissent, & ut causam suam faceret meliorem, subjunxit, se ex insidiis ab Arslambego vulneratum: quibus nihil fuisset opus, si se dignum suo nomine Arslambegus prestare voluisset, quandoquidè ipse pugna cū eo nunquā subterfugisset, ut què ad singularem pugnam multoties provocasset. Hoc Bassa aversantes, Tunc commilitioni tuo singulare certamen denunciare ausus es? Deerant quippe Christiani, in quos pugnares. Vivit uterque vestram pane nostri Imperatoris: nihilominus inter vos de vita decernere parabatis; quo jure, quonam exemplo? An ignorabatis utercunque vestrum cecidisset, Imperatoris damno casurum? Quo dicto duci eum in carcerem jusserunt, in quo multis mensibus maceratus, vix tandem liberatus est, existimatione valde deminuta. Apud nos multi hoste publico nunquam conspecto, quod in civem aut contubernalem strinxerunt ferrum, clari & memorabiles habentur. Quid iis moribus facias, ubi virtutis locum vitia occupant: & quod penam meretur, gloria & honori vertitur? Hæc ille. Vos Duellatores, arrigite aures, & probè hæc ex tripode dicta expendite, & tandem à barbaris barbariem exuere discite. Aut certè si tanta dimicandi prurigine stimulamini, desuntne Turcæ, in quos pugnetis? Hic Rhodus, hic saltus. Exemplum quæso capite, vobis quod ex usu sit. Erant, inquit Cæsar 5. de bell. Gall. in legione fortissimi viri centuriones, qui jam primis ordinibus appropinquarent, T. Pulpio, & L. Varenus. Li perpetuas controversias inter se habebant, uter alteri anteferretur, omnibusq; annis de loco summis simultatibus contendeant. Ex iis Pulpio, cum acerrimè ad munitiones pugnaretur, Quid dubitas, inquit, Varenè? aut quem locum probandæ virtutis tuæ expectas? hic dies, hic dies de nostris controversiis judicabit. Hæc cum dixisset, procedit extra munitiones; & quæ pars hostium confertissima visa est, in eam irrumpit. Ne Varenus quidem tum vallo sese continet, sed omnium veritus existimationem subsequitur, mediocri

spatio



*spatio relicto. Pulsio pilum in hostes mittit, atque unum ex multitudine procurrentem transjicit: quo percusso, & exanimato, hunc scutis protegunt hostes, & in illum universi tela conjiciunt, neque dant regrediendi facultatem. Transfigitur scutum Pulsioni, & verutum in balteo defigitur. Avertit hic casus vaginam, & gladium educere conantis dextram moratur manum, impeditumque hostes circumstant. Succurrit inimicus illi Varenus, & laboranti subvenit. Ad hunc se confestim à Pulsione omnis multitudo convertit: illum veruto transfixum arbitrantur. Illic vero occurrit ocyus gladio, cominusque remgerit Varenus: atque uno interfecto reliquos paulum propellit. Dum cupidius instat, in locum inferiorem dejectus concidit. Huic rursus circumvento fert subsidium Pulsio: atque ambo incolumes, compluribus interfectis, summa cum laude sese intra munitiones recipiunt. Sic fortuna in contentione & certamine utrumque versavit, ut alter alteri inimicus auxilio salutique esset; neque judicari posset, uter utri virtute anteferendus videretur. Agite, Duellatores, contra Turcam experimini, & pari æmulatione vestras similtates animosque placate.*

LXIV. Sed quid dicam de Studiosorum in Academiis duellis, quorum ut sæpe est summa temeritas & ferocia, ita tristissimus exitus. Causas si videas, quibus ita exasperentur, sunt illæ ad eò plerumque frivolæ, ut satius foret de tribus contendere capellis. Vel enim helluoni non æqua potus mensurâ aut numero, aut non æquè diu respondetur: vel caput non aperuit commilito, nec salutavit alterum quem sæpe nec vidit: vel non satis demissè erga veteranos cristatosve hoc officio defunctus est: vel Spartacus aliquis arte aut viribus præfusus aliis insultat: vel Pamphilus æstuat, quod Niceratus heri Chrysidem habuerit: vel quod rivalis cum Glycerio choream duxerit in nuptiis: vel quod crapula jam gravis aut artis imperitus præpoperè alterum saltu præverterit: vel quod intempestivè alterum monuerit, eive oblocutus sit, quod acerbius disputan-

tem oppugnaverit: quod de suo cive, aut amico combibone  
parum honorificè locutus sit: quod in via proclamaverit mu-  
seum præteriens: quod clamanti alius exclamaverit: quod se  
quis æmulum in vestitu aliave re ostenderit: quod coram Les-  
biæ foribus fidibus cantaverit: quod illi è fenestra prospicienti  
vultu abblanditus, eamq; *μετὰ πολλῆς Φαντασίας* ve-  
neratus sit: & sexcentæ aliæ Siculæ gerræ, de quibus calidissi-  
mè inter illos contenditur. Nemo, puto, melius horum duel-  
lorum immanitatem ac vesaniam explicabit, magisque dete-  
stabitur, quàm infelices illi Parentes, quorum Filii virtutis &  
humanitatis causa ad Academiàs ablegati, inhumano more  
occubuerunt, eorumque non solùm naturalem sed & spiri-  
tualem (eheu!) interitum insolabiliter desilent.

LXV. Fateor equidem quod non æquè fervidè semper  
congregiantur, quod modò cæsim, modò punctim digladien-  
tur. Scio etiam, nullam esse aut fore Academiam, quæ non  
hoc facinus legibus inhibeat, & pænis delinquentes adficiat.  
Prius verò quod attinet, tantò minùs juvenilis ille fervor est  
contemnendus, quò magis illa ætas suis affectibus & temerita-  
ti obnoxia est, & quò majori rerum talium imperitia laborat.  
Satis, proh dolor! multa tragica exempla extant, Studiosos du-  
ellis commissos purpureã evomuisse animã. Et si cæsim fiat di-  
micatio, non tamen omne, nec semper etiam vitæ ab illa abest  
periculum. O miseros illos, qui tum demum cogitant quàm  
improbum inconsultumque facinus susceperint, ubi lethali  
vulnere expulsa animula in extimis oberrat labris, anxia, quæ  
sitabitura in loca! Miserrimos illos, quibus ne tantillum spa-  
tij superest, sed, subtrahente suam gratiam justè indignante  
Numine, protinus concidunt, & in mortali suo peccato vindi-  
ctæ virulentiam adhuc ore spirantes occumbunt! Leges ve-  
rò, quibus illos conflictus reprimere satagunt in Academiis,  
impetus juvenilis, veluti aranearum telas vespæ, perfringit, &  
sæpe

sæpe cum leges tum Judicem ferociore vix unius æstimant as-  
sis, vanam gloriolam suam & apud commilitones existima-  
tionem salute & temporali & æterna pretiosorem impruden-  
tissimè reputantes, spemq; impunitatis in illorum quandoque  
præsidio ponentis, qui pietatis vel officii ratione commonefa-  
cti iusta indignatione hoc inveteratum masu persequi & stirpi-  
tus evellere debebant. Aliis igitur & quidem severioribus re-  
mediis opus est, quibus hæc pestis excindatur. Duo quippe in-  
primis carcinomata nonnullas Germaniæ Academiis in-  
festaverunt, Pennalissimus qui dicitur, & Duellum.  
Pennalissimum per Dei gratiam tandem ex illis profligavit  
justissimus Principum zelus: quo utinam, iterumq; uti-  
nam etiam illi accendantur ad extirpanda penitus duella, eaq;  
non solum ex Academiis, sed conjunctis animis studiisque ex u-  
niverso orbe Christiano exterminanda. Hoc enim Duellorum  
horum atrocitas & manifestissima injustitia meretur, atq; hoc  
officium à suis in terra Vicariis & Judicibus exigit Rex Regum  
& Dominus dominantium, qui aliàs non potest inultam relin-  
quere funestam illam sanguinis humani effusionem, sed eam  
per civiles motus & Turcarum Tartarorumque aliorumq; di-  
ram crudelitatem vindicabit. Perquam gravis est textus Nu-  
mer. 35. v. 31. seqq. *Non accipietis pretium ab eo, qui est reus sangui-  
nis: statim & ipse morietur. Ne polluat is terram habitationis vestrae,  
quæ infontium cruore maculatur: nec aliter expiari potest, nisi per e-  
jus sanguinem, qui alterius sanguinem fuderit.* Genesios c. 4. v. 10.  
Deus ait Caino: *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.*  
Et Apocal. 6. v. 10. inquit Apostolus, animas interemptorum  
clamasse voce magna: *Usquequo, Domine, non judicas, & non vin-  
dicas sanguinem nostrum de iis qui habitant in terra.* Imò signum  
jam sublatum est ab Illustrissimis Ordinum Imperii Legatis in  
Comitiis Ratisbonensibus, ut bene sperare liceat. Cum enim  
hactenus nulla lege universalis in magna Rep. Germanica duella  
fuerint vetita, & tantum Principes quidam suæ ditionis sub-

ditis Edictis propositis iis interdixerint, quæ inter eminet Sereniss. Ducis Saxo-Gothani, consilio & calamo summi JCri Frantzkij procul dubio contextum; jam tandē universale Edictum Ratisbonæ conditum, & à S. Cæs. Majestate approbatum est, quo nulli nō hominū ordines à duellis profus abstinere jubentur, gravibus pœnis in delinquentes sancitis: ut adeò nihil præterea desiderari possit, quàm ejus promulgatio, & observantia, vel, hac defectura, parata in quosvis *ἀνευ προσωποληψίας* legitimæ pœnæ exsecutio.

LXVI. Et si autem ex iis, quæ hæctenus proposita sunt, rationibus nemini non de inhumanitate & injustitia Duellorum non necessariorū abunde constare possit, nisi quem fugiat omnis ratio jurisque notio, ut tamen etiam simplicioribus ingenii consulatur, & præcipua argumenta uno quasi fasciculo collecta conspectui cujusvis subjiciantur, more Academico illa dilucidè concinnabimus. Quidquid adversatur Dei præceptis, illud est detestabile peccatum: Duella, de quibus proximè differuimus, adversantur Dei præceptis, E. illa sunt detestabilia peccata. De Propositione non laboro, Minorem quod attinet, notum est illud Dei præceptum, *Non occides*: & illud, *Diliges proximum tuum sicut teipsum*: & illud Christi, *Ego dico & edico vobis, diligite inimicos vestros, benedicite eis qui execrantur vos, benefacite eis qui oderunt vos, & orate pro eis, qui vobis sunt insens, & vos persequuntur. Matth. 5. v. 44. seqq.* Et illud, *Ne obstitite improbo; sed qui te cadet in dexteram tuam maxillam, obverte ei & alteram. Matth. 5. v. 39.* Hæc igitur præcepta partim cohibent prohibentque cruentum homicidii furorem & desiderium, partim proximi amorem, partim patientiam commendant, ac severè inculcant; sic enim ait Magister noster optimus *Matth. 5. v. 45. Ut sitis filii Patris illius, qui est in cælis.* His verò omnibus cum repugnent hæc Duella, non potest non hinc se-

qui,

qui, ut Duellatores Cyclopici definant esse filii Dei, & incipi-  
ant esse filii ac soldurii Diaboli. Nemo, quæso, ringatur hæc  
legens, aut vel dentibus vel gladiis concrepet. Hæc quippe te-  
la ex ipsius Veritatis pharetra sunt deprompta, quæ nec à con-  
fertissimo duellatorum globo elidi possunt. Ecce enim, si ad-  
huc quid dubitationis superest, idem alio adhuc argumento e-  
vincam: Quicumque facit opera Diaboli, ille est filius Diabo-  
li, Atqui postremi generis Duellatores faciunt opera Diaboli,  
E. illi sunt filii Diaboli. Majorem supeditavit ipse Christus:  
*Johan. 8. v. 44. Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri  
vultis facere; ille homicida erat ab initio.* Quidquid directè repu-  
gnat Legibus & præceptis divinis, illud non potest non esse o-  
pus improbum Diaboli: Hæc Duella repugnant Dei præceptis,  
E. non possunt non esse opera Diaboli.

LXVII. Pergo idem demonstrare. Quidquid Legibus  
naturæ adversatur, illud sua natura est improbum & damnan-  
dum: Hæc Duella Legibus naturæ adversantur, E. sua natura  
sunt improba & damnanda. Minorem confirmo *ex l. 3. ff. de l.  
& I.* ubi dicitur, Communem esse cognationem inter homi-  
nes, adeoque hominem homini insidiari nefas esse. Deinde  
Juris Naturæ hæc etiam à Jctis inculcantur præcepta, Honestè  
vivere, Neminem lædere, suum cuique tribuere. *l. 10. ff. eod.* Pro-  
bo idem aliâ etiam ratione: Quidquid suâ naturâ perturbat &  
evertit societatem humanam & civilem, illud est contra Jus  
naturæ: Hæc Duella suâ naturâ perturbant & evertunt so-  
cietatem humanam & civilem, E. illa sunt contra jus Na-  
turæ. Majorem ita declaro: Quidquid per se ad conser-  
vationem societatis naturalis facit, illud est Juris naturæ  
in illa societate: E contrario, Quidquid societatem de-  
struit & suâ naturâ labefactat, illud est contra Jus Naturæ  
illius societatis. Si jam scire desideras, quid conservet aut  
destruat societatem naturalem, finem cujusque inspice. Fi-

nis vero societatis humanæ civilis est, ut tutò feliciter ac tranquillè sociati homines vivant : Huic vero fini profectò multis modis hæc Duella obluçantur, eumque destruant. Nam ne ad alia exempla properem, nonne experientia confirmat, si quæ Academia præ aliis duellorum frequentia & atrocitate infamis sit, nonnè boni quique formidant illam adire, aut eò suos mittere ? sed non solum labefactant Duella hanc societatem, ab instituto hominum natam, sed ipsas illas, quas Natura condidit. Ecquis enim cum illo in una domo, aut civitate vivere, ac familiari consuetudine uti velit, qui truculentum gestat sub pectore lupum, quiq; more calcitrosi equi omnes ferire, imò opprimere, pro ludo habeat? L. in isto porrò: Quidquid Judiciorum ordinem pervertit, eiq; maximè contrarium est, illud Deo & Naturæ inimicum & exosum est: Atqui postremi generis Duella (de reliquis enim speciebus sigillatim dixi) Judiciorum ordinem pervertunt, eiq; maximè contraria sunt, E. hæc Duella Deo & Naturæ inimica & exosa sunt. Utriusque propositionis veritatem facilè licet colligere ex iis, quæ fundamenti loco initio hujus Dissertationis jacta sunt. Ipse enim spiritus sanctus in ep. ad Roman. c. 13. Magistratus & Judicia Dei ordinem appellat, dicitq; quotquot his obluçati fuerint, illos se Deo ejusq; διαταγή ordinationi opponere. Natura quoque Civilis societatis omninò postulat, ut in ea sint Judicia, eorundemq; integra sit & intemerata autoritas. Quod verò Duellatores illum ordinem pervertant, tam est manifestum, ut, cum rerum testimonia adsint, nihil opus sit verbis. Ubi enim locum habet Judicium, ibi cessat bellum: at ubi bellum est, ibi cessat Judicium. Duellatores verò, dum hoc agunt, & duellis inter se decertant, ubi judicis copia foret; bellum revera gerunt, & ita Judice spreto ac præterito, sibi in sua causa jus armis dicunt, suasq; injurias privata autoritate vindicant: id quod profectò est ordinem Judiciorum pervertere.

LXVIII. Idem urgeo adhuc alia ratione: Quicumque lædit & divinam & humanam Majestatem, is gravissimi criminis reus est: Atqui Duellatores hi lædunt & divinam & humanam Majestatem, E. hi duellatores gravissimi criminis rei sunt. Majorem sine dubio mihi Duellatores permittent. Itaque confirmanda erit Minor. Et quidem primò lædi Majestatem Divinam, evidenter ex hoc Dei ipsius edicto, à Spiritu S. in epistola ad Romanos repetito, comprobo: *mea est vindicta, ego retribuam.* Quicquid igitur Deus sibi soli reservavit, & privatis quibusque hominibus eò seriò interdixit, illud à privatis attentari sine læsione Majestatis divinæ non potest: Atqui Vindictam Deo sibi soli reservavit, & privatis hominibus quibusque ea seriò interdixit, E. illa à privatis attentari sine læsione Majestatis divinæ non potest. Deinde humanam etiam Majestatem lædi sic ostendo: Quicumque Jura Majestatis humanæ propria privato ausu involat & usurpat, is læsæ Majestatis humanæ reus est: Atqui Duellatores hi jura Majestatis humanæ propria privato ausu involant & usurpant, E. hi Duellatores læsæ Majestatis humanæ rei sunt. Nam ubi est Majestas, seu *τὸ κύριον*, ei necessum est, ut etiam Jus belli competat: absque hoc enim si foret, integrum *τὸ κύριον* non erit. Jam verò Duellum est aliquod bellum, adeoq; jura Majestatis à Duellatoribus temerari certum est. Hinc etiam Ictus ait lege Julia Majestatis teneri eum, qui injussu Principis bellum gesserit. *l. 3. ff. ad l. Jul. Majest.*

LXIX. Plures adferri rationes possent, nisi jam allatæ assertioni nostræ probandæ sufficerent, quarum tantum mihi pondus esse videtur, ut qui iis ad sensum deneget, cum ratione insanire videatur. Cæterum Duellatores fortè mihi regerant, saltem Duella esse licita, ubi à Majestate civili permittuntur. Ego verò id ipsum pernego, & demonstrabo, nec Duella postremi generis à Majestate civili rectè permitti posse, nec permissa licet

licet à privatis bene suscipi. Prius ut obtineam, Demonstrationum modò allatarum conclusionibus liquidissimis hunc in modum utar: Quidquid est peccatum detestabile, suâ naturâ improbum & damnandum, Deo & Naturæ inimicum atque exosum, & gravissimi criminis reatum habet, illud à Majestate civili nequaquam permitti potest ut fiat: Atqui Duella, de quibus postremò diximus, sunt talia peccata, E. hæc Duella ut fiant à Majestate civili nequaquam permitti possunt. Cum enim, ut initio Dissertationis dictum est, Majestas civilis vicem gerat Dei, & ordinem Judicii, pacem ac tranquillitatem omni ope ac studio tueri, quæq; his adversantur, arcere debeat; facile apparet, tales actus, de quibus diximus, Deo & Naturæ maximè inimicos & exosos, à Magistratibus subditis minimè permitti posse.

LXX. Idem alio evincam argumento: Quicumq; actum per se detestabilem, Deo & Naturæ omnibus modis exosum permittit, quem prohibere & poterat & debebat, is in talem actum consentit: Atqui Majestas civilis aliquando talem actum, videlicet postremi generis Duellum, per se detestabilem, Deo & Naturæ omnibus modis exosum permittit, quem prohibere & poterat & debebat, E. Majestas civilis in talem actum consentit. Progredior: Quisquis consentit in actum per se injustum, improbum & abominandum, quem prohibere & poterat & debebat, is causa ejus moralis est: Atqui Majestas civilis aliquando in talem actum (videlicet cyclopicum Duellum) consentit, E. Majestas civilis ejus causa moralis est. Quicumque est causa moralis detestabilis alicujus actus, quem prohibere & poterat & debebat, is illius reatum sibi contrahit, adeoq; poenæ illi reatui convenienti se obnoxium reddit: Atqui Majestas civilis aliquando est causa moralis detestabilis alicujus actus, (putà Duelli) quem prohibere & poterat & debebat, E. Majestas civilis illius reatum sibi contrahit, adeoq; poenæ illi reatui con-



convenienti se obnoxium reddit. Repetantur hic, quæ supra  
fuere tradita, quot modis quis causa moralis alicujus actus exi-  
stat, ex *tb. 51.*

LXXI. Præterea, Quicumque alieno munere & impe-  
rio funguntur, ii, si contra demandantis voluntatem eo abu-  
tantur, gravissimè peccant : Atqui Principes & in his terris  
imperantes alieno munere & imperio funguntur, E. Principes  
& in his terris imperantes si contra demandantis voluntatem  
eo abutantur, gravissimè peccant. Nam ut supra declaratum  
est, Dei vicem imperantes sustinent, & ab hoc delegatam po-  
testatem acceperunt, cui ad rationes muneris gesti omnes sunt  
obnoxii, licet hic sint ἀνυπεύθυνοι. Quicumque imperantes  
permittunt id, quod à Deo severissimè est vetitum, illi contra  
Dei voluntatem imperio suo abutuntur, adeoque gravissimè  
peccant: Atqui nonnulli imperantes permittunt id, quod à  
Deo severissimè est vetitum, puta Duellum, de quo postremò  
actum est, E. nonnulli imperantes contra Dei voluntatem im-  
perio suo abutuntur, adeoque gravissimè peccant. Nec mul-  
tò minùs peccant, qui quidem non expressè sed tacitè Duella  
hæc permittunt, citra necessitatem connivendo & dissimulan-  
do. Ita enim concludo: Quicumq; tractat opus Domini ne-  
gligenter, illos maledictos esse ipse pronuntiat Dominus: At-  
qui imperantes illi, qui duella illa cyclopica permittunt, tra-  
ctant opus Domini negligenter, E. illos imperantes maledi-  
ctos esse ipse pronuntiat Dominus. Major est petita ex ver-  
bo revelato Jeremiæ c. 48. 10. Minor, ut puto, nihil dubitatio-  
nis habet. Unum adhuc addo: Quo exemplo aut facto sub-  
diti ad gravissimum suaque natura illicitum peccatum invita-  
ri queant, illud ab imperantibus si ab eo abstinere possint, non  
sine peccato potest admitti : Atqui permittere duella vulga-  
ria, est tale exemplum aut factum, quo subditi ad gravissimum  
peccatū invitari queant, E. illud ab imperantibus, si ab eo absti-

nere possint; non sine peccato potest admitti. Notum est illud, *Regis ad exemplum totus componitur orbis*. Si igitur illa exempla bona fuerint, bona imitatio; sin mala, illam mala excipiet. Minorem satis superq; infelix confirmat Experientia. Dum enim nonnulli Nobiles & Aulici Duellorum permissionem à suis Principibus impetrarunt, jure se suo uti putant, cum nihil aliud obtinuerint nisi impunitatem: hæc verò impunitas uti in genere peccandi, ita & duella condicendi maxima est illecebra, qua non solum illi decipiuntur, qui illam impunitatem impetrarunt, sed & alij, qui idem sibi jus competere falso persuasum habent. Benè sentit Jctus l. 13. §. 3. ff. de usufr. *Cur ad arma, & rixam procedere patiatur Prætor; quos potest Jurisdictione sua componere?* Rectè etiam constituerunt Imp. l. 7. C. de prec. Imp. off. *Rescripta* (atque hoc exemplo *Permissa*) *contra jus impetrata, non esse attendenda à Judicibus, nisi concedant aliquid, quod petenti prosit, nemini obsit.*

LXXII. Restat alterum, ut ostendam, tali impunitate promissa, duelloque ab imperantibus permisso, nihilominus privatis ab iis abstinendum esse, nec isti permissioni inniti salva conscientia aut sine peccato posse. Argumentum esto hoc: Quicumque propter spem impunitatis factam facinus aliquod aggrediuntur divinis & Naturæ legibus vetitum, & ab omnibus bonis damnatum, illi gravissimè peccant: Atque Duellatores quidam propter spem impunitatis ab imperantibus factam facinus aliquod aggrediuntur divinis & Naturæ legibus vetitum & ab omnibus bonis damnatum, Duella illa putà postremi generis, E. illi Duellatores gravissimè peccant. Deo enim magis obediendum est quàm hominibus, siquidem hi aliquid jufferint aut permiserint, quod suâ naturâ est adversum illius voluntati. *Actor. 5. 29.* Deinde licet Princeps aliquid, qui τὸ κρείον habent, dicantur soluti esse legibus; l. 31. ff. de legib. non tamen illud ultra positivas suas est extendendum. Proinde cum Duella hæc

la hæc graviter in leges Divinas & Naturæ impingant, permissio imperantium illa verè licita non efficit.

LXXIII. Ergo, inquis, Principes & imperantes nullo casu subditis duellum permittere possunt? Antequam respondeam, monendum est, Permissionem aliam esse nudam, videlicet ut qui ita permiserit aliquid, intelligendus sit sivisse illud fieri neque impediverit: alia verò Permissio cum consensu est conjuncta: atque ita qui permittit, factum approbat. Et si verò non sim nescius, Remp. & Principes in varias necessitates ac difficultates incidere posse; nullam tamen adeò rigidam & indeclinabilem necessitatem jam quidem prospicio, qua approbando imperantes duella, de quibus hæctenus disseruimus, permittere debeant. Hoc verò sæpe accidit, ut nudâ simplici que permissione peccata quædam tolerent, majoris scilicet mali metu coacti, atque adeò poenam exigere jam nequeant, quæ tamen differri potest, exemplo Davidis, qui poenam dudum à Joabo meritam demum à filio successore exigi voluit, aut si majoris illius mali metus tam diu duret, ut pæna in hac vita non possit de delinquente sumi, supremus rerum arbiter ac Judex laborantem imperantium auctoritatem sui imperii plenitudine supplebit, tarditatemque supplicij gravitate æternum compensabit.

LXXIV. Quia autem præmissa Quæstio fortè à nonnullis in dubium vocabitur, age, nonnulla duella, licitè ab imperantibus permissa aliis credita, proponamus, quibus ad Rationis stateram appensis, quisque bonus & prudens arbitretur, uter nostrum rectius sentiat. Duobus quondam in Hispania dynastis Corbidi & Orsuz, de principatu contendentibus, & alium Deorum hominumque, quam Mortem judices se admisuros negantibus, Scipio Duellum permisit. Malè meo judicio. Quæ enim necessitas Scipionem impellere potuit, qui suam populique Rom. auctoritatem nullo negotio interponere

potuisset; Livius lib. 28. Alterum exemplum nobis narrabit  
præclarus Danicæ Historiæ scriptor Joannes Meusius lib. 3. ad  
Annum 1519. Hanc, inquit, gregariorum pugnam alii duo illustres  
viri exceperunt. Quorum unus, Ivarus Lungius, gente Danus, ac pro-  
sapia nobilissima; alter, Georgius Tengnagelius, è Germania oriun-  
dus; uterque, rei militaris laude excellens. Lungius complures an-  
nos sub Francisco, Gallia Rege, ac Burgundia Duce Carolo, aliisq; illu-  
strissimis Principibus, militaverat; qui virtutem quoque ejus, atque fi-  
dem, aureis catenis singuli honoraverant: hasq; ipsi, quoties in pom-  
pa Regem comitaretur, equi sui collo appensas, velut fidei in tot Prin-  
cipes monumenta, ostentabat. Isto nomine satis Regi commendatus,  
ut præterea gratiam ejus sibi obstringeret, armatura affabrè facta,  
quam è Gallia secum attulerat, muneratur. Tengnagelius, qui stipen-  
dia item varia sub Principibus multis fecerat, & militia clarum no-  
men comparaverat, cum moliri bellum in Suecos Christianum (Chri-  
stianum II. aliàs appellatum) famâ acceperat, ipse quoque Dani-  
am petere, operamq; ad hanc expeditionem offerre statuit. Ideoq; iti-  
dem egregiam quandam armaturam è Germania apportavit, Regi  
illam, ad captandam ejus gratiam donaturus. Idq; fecit; & obtinuit  
commendatione sua, ut Rex istam supra Lungii estimaret. Jam u-  
trinque quaedam emulatio erat; cum & Lungius, hominem sibi pere-  
grinum, si armorum laude aequalem, tamen non superiorem, anteponi,  
agrè ferret: & indigena quantumvis Tengnagelius, cui parem sese  
crederet, nihil esse concedendum existimaret. Et hac res majorem  
in modum animos exasperabat: multò magis, quod uterque peditatus  
universi præfecturam adfectaret. Rex dissidio intellecto, quemque,  
quæ donarat, arma induere jubet: atque hastis concurrentes experi-  
ri, utra meliora essent: qui vicisset, illum sui peditatus ducem fore.  
Placuit conditio utrique; & concertant, die, ac loco præstituto, in co-  
rona spectatorum frequentissima: cum, impacta in oculum hasta, ad-  
versarium Lungius sternit, qui victoria tamen fructum, vitæ paulò  
post ereptus, non percepit. Malè & hi commissi fuerunt. Qui e-  
nim

nim gnarus iurium illius Regni ac Status, qvalis qvidem eo a-  
vo erat, est, nihil dubitabit, qvin Lungius præferendus omnino  
fuerit Tengnagelio. Et, qvæso, qvæ Regem necessitas compul-  
lit, ut hi ita committerentur? Nullam sanè Historicus memo-  
rat. Nec enim militem huic aut isti adhæsisse legitur. Et si æ-  
mulatio ista expeditioni noxia fuisset futura, eum removeri o-  
portuerat, cui minus jus competeat.

LXXV. Solenne admodum Duellum etiam ex Ponto  
Heutero Delfio recitat Camerarius *Hor. Subcisiv. Cent. 2. c. 21.*  
duorum Hispanorum, Petri Torellij, & Hieronymi Ancæ. Or-  
ta ipsis primùm lis est ex alex lusu. Hi itaqve cum depugna-  
rent, aliquot hinc inde acceptis illatisq; punctim cæsimque si-  
ne vulnere ictibus, Torellio gladius manu excutitur. Præsen-  
tem ille mortem videns, concedit Ancæ victoriam, victum se  
fessus, ea tamen lege, ne ulli mortalium quæ gesta erant, aperir-  
ret, sed perpetuo silentio sepulta manerent; malle enim se mo-  
ri, quàm cum ignominia vivere. Quod licet sanctè promis-  
set Anca, brevi tamen omnis res gesta in ore fuit omnium.  
Gravior hinc recruduit inimicitia, qvæ, ut ipsi putabant, non  
nisi singulari certamine sopiri posset: itaqve Cæsari Carolo V.  
libellum supplicem offerunt, petuntq; pro Regni Arragonici  
ac Castellani more, (ò pessimum morem!) utriusqve petiti-  
oni subscribere; locum diemque certamini statuere dignetur.  
His à Cæsare ad Connestablium remisissis, Duellum illis in foro  
Valledoletano solenni pompa ac ritu instruitur, funestoque  
actui illi Cæsar spectator & arbiter interfuit ac præfuit. Cæsar  
tandem luctuosum ejus duelli exitum opperiri nolens, sua au-  
toritate illud diremit, & invitis reluctantisque severè eo in-  
terdixit, *Posse enim eos, qui vires experiri, pugnisq; honorem quære-  
re velint, id contra Mahumetistas, Christiani nominis perpetuos ho-  
stes, majori cum honore, ac certa anima cum salute facere.* Omnia  
hic gesta sunt contra Dei Naturæq; leges, etiam si peracta fue-  
rint

runt more regni Arragonici & Castellani. Nam & duplex inter illos fuit Duellum, prius ex frivola alex. causâ, alterum ex vana existimationis læsæ opinione ortum: posterius tantum abest ut permittere eo modo potuerit Cæsar, ut potius obligatus fuerit prius illud severissimè punire. Ipse enim Cæsar hunc actum suamq; approbationem rectè arguit, dum cum iis hostibus, qui fortes haberi velint, congregari vult, quos impugnare iustum sit, & ubi in nullo versetur discrimine anima: quo ipso indicavit Duella ista conjuncta esse cum periculo æternæ salutis. Atque ita omnino se res habet. Quicumque igitur actus ita per se illicitus est, ut cum periculo æternæ salutis sit conjunctus, is à Principe subditis suis minimè potest licitè permitti; Atque hoc Duellum fuit ejusmodi actus, E. illud Duellum à Principe suis subditis licitè non potuit permitti.

LXXVI. Ludovicus quoque Bavarus Duellum permisisse legitur duobus Nobilibus, Hæctori von Trautmansdorff & Sigfrido Fraunbergero, de antiquitate nobilitatis & natalium contendentibus. Et hoc malè. Qua enim de re inter illos contentio fuit? & num alia ratione illa decidi non potuit? Lehmannus quoque *lib. 7. Chron. Spir.* solenne Duellum duorum Nobilium permisisse Senatus Spirensis Anno 1433. perpetratum graphicè describit. Imò nonnulla Germaniæ oppida sibi speciali privilegio quoddam Judicium Duellicum, *Kampffgericht / Kampffplatz / Kampffort /* vindicant, veluti Hala Suevorum, Herbipolis. Et Melchior Goldastrus *part. 2. Constit. Imper. tit. 71.* meminit des *Kampffs oder Kolbengerichts des Burggraffthumbs zu Nürnberg.* Non possum quin inseram, qua solennitate Judicium illud duellicum adornari solitum fuerit; descriptione illius petita ex Sebastiani Munsteri *Cosmograph. lib. 5. c. 248. edit. noviss.* ubi de Hala Suevorum disserit. *In dieser Stadt ist ein Kampffgericht / wann zween Edel Rittersmäßige mit einander kampfenn wollen umb Ehr und Glimpff. Und wird*

wird diese Ordnung darin gehalten. Nachdem ein Erbahr  
Nacht daselbst von Kaysern und Königen vor vielen Jahren ge-  
freyet ist. So sich also zwey Edel Rittermäßige mit einander  
verwilligen / und beide ein Nacht umb Platz und Schirm bit-  
ten; schreibet ihnen ein Nacht der Meynung: Ihr schreiben / und  
Begehr habe ein Nacht gehört / und der Unwill zwischen ihnen  
sey ihm leyd / wolten gern / daß sie von ihrem Fürnehmen abstün-  
den / und bitte sie mit allem Fleis des zu überheben / und sich sonst  
in ein ander ehrlicher und ziemblicher Weiß / Mittel und Wege  
zu vereinigen; des wolle sich ein E. Nacht zu Ihnen versehen / das  
begehrt ein Nacht umb sie zu verdienen. Und da sie beyde wieder-  
schrieben / und bäten der Meynung wie vor / und nicht wollen ab-  
stehen; auff das schreibet ihnen wieder ein Nacht wie vor. Und  
ob sie weiter auff ihrem Fürnehmen beharren / so benennet ihnen  
ein Nacht einen Tag / darauff zu erscheinen / ihr beyder Klag / An-  
sprach und Anliegen gülich zu verhören. Und so sie den Tag an-  
nehmen zu kommen und alsdann darauff zu erscheinen; so höret  
ein Nacht ihr Anliegen / und nach Verhörung thut ein Nacht mög-  
lichen Fleis / sie in ein ander Mittel und Wege gütlich oder auff  
das Recht zu vereinigen. So das aber nicht seyn wil / und sie  
nicht von ihre Fürnehmen abstehen / und ein Nacht nicht verlas-  
sen wolle; So saget ihnen ein Nacht Platz und Schirm zu / und  
benennet ihnen einen Tag zu kommen. Und so sie kommen und ist  
ihre Begehr wie vor / so müssen sie beyde schweren zu Gott / ihrem  
Fürnehmen gestracks auff den bestimmten Tag Folge zu thun; un-  
benennet ein Nacht einem jeden ein Anzahl Leute / die er möge mit  
ihme bringen / und nicht mehr Persohnen / denn ein Nacht ihnen  
zulassen gefällig ist. Auff dieselbige Zeit läset ein Nacht den  
Marckt oder Platz mit Sand beschütten und umbschrancken /  
und jedem ein Hütte / daer mit dem Guckswarten und seinen  
Verwandten seyn möge / machen; auch idem ein Todtenbar  
mit

mit Kerzen/ Vortüchern und andern Dingen/ die zu einer Let-  
che gehören. Es wird auch einem jeden seines Gefallens ein  
Beichtvater/ zwey Grieswarten/ und einem als dem andern  
gleich Harnisch un Wehr zugelassen/ oder mögē sich des als selbst  
zu Ross oder Fuß vereignen/ wie sie deshalben in Schriffen ver-  
sprochen und zugesaget haben. Und alsdann in Segen wart ihrer  
beyden lest ein Racht gleich Schutz und Schirm öffentlich aus-  
ruffen und verkünden/ daß niemand schreie / deute / winck oder  
sonst Zeichen thue und gebe; Und welcher das nicht thuet/ dem  
wolle ein Racht durch den Nachrichten/ der denn gegenwertig  
seyn soll/ mit einem Handbeil und Block die rechte Hand und  
den lincken Fuß abhauen lassen ohne Gnad. Es werden alle  
Thor verschlossen/ alle Thürm/ Wehr und Mauren besetzt/ und  
alle Sassen mit einer Ketten durchgezogen bewahret und verse-  
hen; Weiter wird verboten daß kein Frauenbild noch Knab un-  
ter 13. Jahren alt darbey zu seyn oder stehen gestattet werde.  
Als denn bestimt ein Racht ihnen beyden S. und auff dem Platz  
in seiner Hütte zukommen mit seinem Beichtvater und Gries-  
warten/ und verwechselt als denn einen Grieswarten/ und be-  
fährt jedem in seiner Hütten zugehen/ und auff das allerheftig-  
ste mit allem Fleiß Auffmerckung zu haben/ daß keiner wieder  
den andern Untreu sonder Befehr noch Vorthail der Wehr und  
Waffen suche zuthun noch hab in kein Weis noch Weg. So das  
alles beschicht/ als denn läßt man sie gegen einander außtreten/  
und wird mit lauter Stimm drey mahl geruffen/ zum ersten/  
zum andern/ zum dritten mahl: So wenden sie einander ein/ wel-  
cher verwundet wird und sich dem andern ergibt/ der sol hinfüro  
geachtet werden Ehrlos/ auff kein Pferd mehr sitzen/ kein Bart  
scheren/ noch Waffen oder Wehr tragen / auch zu allen Ehren  
untauglich seyn. Und welcher todt liegen bleibt / und also wie  
lautet überwunden wird/ der sol ehrlich zur Erden bestattet wer-  
den.



den. Und dieser der also obliegt / der soll seine Ehre gnußsam be-  
wehrt haben/auch forthin ehrlicher gehalten werden. Deum im-  
mortalem, quanto apparatu qvanta hic impietas celebratur!  
Qvid opus est Confessionariis cyclopico Duello devotis; Qvæ  
hoc est Judicii elusio? Cur tam severè in illos animadvertitur,  
qvi nutu gestuve Duellatores ferè turbant, cum potiùs hi, si à  
proposito revocari neqveant, manu pedeq; truncandi sint? Si  
qvi igitur malè providi Principes urbibus nonnullis ejusmodi  
privilegia impertiti sunt, illa qvantocyus aboleant, utpote  
qvod talia nec rectè concedere, nec temerè concessis rectè uti  
subditis liceat.

LXXVII. Si quis olim alteri grave crimen objecisset,  
nec sufficienter probasset, injurià laceffito licebat criminis in-  
famiam duello depellere: ceu suprà pluribus expositum est.  
Interejusmodi crimina relatum etiam fuit in Gallia tempore  
Francisci I (ante enim ejus imperium illud non obtinebat) si  
qvis alium mendacii arguisset. Cum enim Rex ille cum Ca-  
rolo V. Cæsare graviter collisus esset, & utrinque aspera prola-  
ta essent verba, in corona Principum Regem dixisse ferunt, *Vi-  
rum bonum non esse, qui mendacium oblatum non vindicasset armis.*  
Postquam igitur ille mos in Gallia invaluerat, Henricus II.  
Rex, Nobiles viros Violum Cabotium Jarnacium & Franci-  
scum Vivonum Castaneum, in publico solenni theatro duello  
experiri passus, & Rege & Proceribus multis spectantibus. Ca-  
botius mendacii crimen Castaneo impegerat, in quo maxima  
credebatur inesse injuria. Exitus illius conflictus is fuit, ut suc-  
cubuerit Castaneus, ictu in poplite accepto; cum enim præ  
dolore ac mœrore animi sanguinis cursum sisti, & vulnus à chi-  
rurgis obligari non pateretur, accedente vitæ tædio decessit.  
Rex Castaneo favens, præterqve spem & opinionem rem eve-  
nisse videns, tantum hinc cepit dolorem, ut religiosissimo sacra-  
mento se obstrinxerit, sua voluntate aut consensu nullum post-

hac Duellum commissum iri. *Thuan. lib. 3. ad Ann. 1547.* Cæ-  
terum quàm graviter, hujus Duelli permissione facta, Rex pec-  
caverit, à Prudentibus probè observatum est. Scribit enim i-  
dem Historicus, *lib. 22. ad ann. 1559.* à curiosis rerumque intelli-  
gentibus observatum, *Regem, qui seruum duellum, rem religione*  
*Christiana vetitam, infaustis regno auspiciis approbasset, in ludicro*  
*vitam amisisse.* Vide quæ suprâ scripsi th. 28. Sed & hunc erro-  
rem pro vero arripuerunt Jesuitæ Casuistæ. Putat enim Bal-  
dellus *l. 3. disp. 24. n. 24.* licere contumeliosum, & qui te fortè  
mendacii arguerit, occidere: cujus sententiam laudat & se-  
quitur Escobarius. Sed ut suprâ monui, cum his Doctoribus  
non est in tenebris micandum.

LXXIIX. Sed cum Duellatores ferè magis adfici soleant  
exemplis quàm rationibus, videant sanè Henricum II, & Caro-  
lum IX, Galliarum reges, qui perpetua lege duello damnato, existi-  
mationis læsæ periculum eorum nomine, qui mendacium aut  
similem criminationem gladio ulti non fuissent, in sese rece-  
perunt. Audiant Principem Condæum belli pacisque arti-  
bus excellentissimum. Anno enim superioris seculi octoge-  
simo secundo, *Monpeliî injecta de nimia jam tum detestabilium*  
*duellorum frequentia mentione; cum Isaacus Valdraeus Moius, qui*  
*cum aliis è nobilitate aderat, ea decoris tuendi, cui vitam verè nobilis*  
*animus posthabere teneatur, necessitate excusaret, Condæus summa*  
*et tanto fastigio digna gravitate interfatur, et magno errore homi-*  
*nes in eo decus et veram gloriam reponere dixit, quod gloria Dei, ad*  
*quam omnia nostra consilia et actiones dirigere debemus, et manda-*  
*tis ejus, in quorum observatione vita aterna consistit, adversaretur:*  
*nec nisi pro patria jussu Principis, aut inculcata corporis tutela cui-*  
*quam gladium stringere fas esse, pronuntiavit. Conversus ad pasto-*  
*rem, qui post sedile stabat, facie, quò majorem sententia sua fidem ad-*  
*strueret, ab eo coram quaesivit: An salva conscientia privatis in-*  
*juris ulciscendis liceret ad certamen venire? et cum ille non licere,*  
*nec*

*nec nisi cum certo damnationis aeterna discrimine id fieri respondisset; hoc jam constanter, inquit, tenete, & auctore me, qui pro decore vestro & gloria ultrò me sponsorem & pradem offero, illas de decore & gloria erroneas opiniones ex animis vestris in posterum delete. Thuanus de Vita sua, lib. 2.*

LXXIX. Cum igitur illa postremi generis Duella sint prorsus improba & detestabilia, nihil ego addo de Patrinis seu arbitris, nihil de sangvinolentis provocationis symbolis, anulo dato, aut chirotheca projecta, nihil de chartis, nihil de jure provocantis aut provocati, nihil de delectu armorum, de loco, tempore, aliisque damnati actus ritibus, in quibus alij ita multifunt, & illa tam promptè decurrunt, ac si in stadio versarentur, aut actum aliquem legitimum describerent. Quorsum enim de his? Si enim constat hæc Duella simpliciter esse illicita, ejusdem necesse est notæ sint omnia illa, quibus illa juvantur, instruuntur ac promoventur. Nihil quoque scribam de illis Duellis, quæ Principes, τὸ κύριον Reip. in sua manu habentes, condicunt: quæ fortè fuit illud inter Carolum V. Imp. & Franciscum I. Galliarum Regem superiori seculo agitatam. Nihil etiam de duellis in justis bellis, ab utriusque adversæ partis ducibus aut militibus delectis susceptis, utpote causam diversam habentibus, ceu suprà jam monitum est th. 19.

